

bitandum receperint, vel receptos sustinuerint tales receptatores, vel sustinentes iudex ipse etiam denuntiet, seu denuntiari faciat publice in ecclesiis excommunicatos, cum ipso facto inciderint in excommunicationem contra præmissa faciendo: quos excommunicatos denuntiare tenetur iudex etiam ex officio, absque cujusquam requisitione, usque ad satisfactionem congruam, ut \* hæc & alia in præfatis constitu-

tionibus latius continentur. Et de tali processu faciendo nihil debet recipere, vel habere iudex nisi solum expensas, si contingat ipsum iudicem extra civitatem, villam, vel locum, ubi habitat, exire, & circa præmissa intendere, vel vacare. Sed notarius de scripturis debet, seu potest salarium temperatum habere; ut in dictis constitutionibus plenius habetur.

\* condi-  
tam, prout

## Confirmatio Apostolica.

MARTINUS PAPA V.

Martinus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. His, quæ pro defensione, ac conservatione ecclesiasticæ libertatis, statuque cleri pacifico, provide statuta, & ordinata sunt, ut illibata persistant, libenter adijcimus, cum a nobis petitur, Apostolici muniminis firmitatem. Sane ex parte venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscopi & Episcoporum, ac dilectorum filiorum cleri provinciæ Tarraconensis nobis exhibita petitio continebat, quod cum quidam, non obstante tam sacrorum canonum provida dispensatione, quam etiam variis statutis super hoc per provinciali concilia editis, ecclesiasticam libertatem perturbare, & enervare diversimode conarentur, ipsi suorum prædecessorum imitando vestigia, ad obviandum variis cavillationibus & interpretationibus malignantium, nonnulla, tam statutorum aliorum declarationes, quam additiones, ordinationes, & statuta pro bono statu cleri ipsius provinciæ, & ecclesiasticæ libertatis defensione variis temporibus prout ipsorum & negotiorum emergentium qualitas postulabat de novo in ipsis conciliis provincialibus Tarracon. statuerunt, condiderunt, & etiam ordinaverunt. Quare pro parte Archiepiscopi, Episcoporum, & cleri nobis fuit humiliter supplicatum, ut declarationibus, additionibus, ordinationibus, & statutis hujusmodi, pro ipsorum subsistentia firmiore, robur Apostolicæ confirmationis adijcere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati declarationes, additiones, ordinationes, & statuta ipsa, quæ diligenter examinari fecimus, cum sint juri consona, & debeant merito observari, quæque inferius describuntur, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: adijcimus præterea, ac eadem auctoritate decernentes, quod indulta de audiendo Missam, & alia divina officia tempore interdicti, laicis concessa, seu in posterum concedenda, ad ea loca, in quibus per dictas constitutiones contra invasores editas, cessationem a divinis observari contigerit, nullatenus se extendant. Tenor vero declarationum, additionum, ordinationum, & statutorum prædictorum sequitur, & est talis.

*Frequens plurimorum clamor nostrum impulsavit auditum, quod nonnulli religiosi exempti, & non exempti, etiam de ordine militari, potius propriis, quam reipublicæ nostræ provinciæ commodis inhiantes, cum eis in personis propriis, locis, hominibus, vel aliis bonis suis injuriæ, damna aliqua, seu violentiæ per quempiam irrogantur, nos seu curiam nostram, & venerabilium fratrum nostrorum suffraganeorum adeunt, ut eis per constitutiones in sacris conciliis Tarraconensibus contra invasores, raptores, & deprædatores hominum ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum, & locorum religiosorum sancte, & salubriter emanatas, succurratur de remedio competenti in dictis constitutionibus expressato: quod quidem remedium cum contra ipsos in dictas constitutiones committentes, ad instantiam aliquorum, vel alias ex officio proceditur, non curant admittere, nec eisdem volunt subiici, sed potius liberari; oblitum consilii Sapientis, quo caveatur, Patere legem, quam ipse tuleris; & canonicis, ac imperialibus legibus quæ publice profitentur, Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo; & Frustra legis auxilium invocat, qui committit in eam. Nos igitur præfatus Archiepiscopus, approbatione ejusdem sacri concilii statuimus, quod dicti religiosi, etiam si fuerint de ordine militari, sicut pro se constitutiones admittunt, contra se, si in eas commiserint, admittere teneantur, quod nisi fecerint, dictarum constitutionum commodo, & auxilio, præsentis sanctionis auctoritate, ipso facto decernimus esse privatos. Præcipientes dictis nostris suffraganeis, Vicariis, & Officialibus eorundem ne eo casu ad instantiam ipsorum, nec ex officio dictas constitutiones observent.*

*Procedit a rationis, & juris tramite, quod ubi majus est periculum, ibi proculdubio est plenius, & salubrius providendum. Quod quam grave sit, & onustum dispendiis; & quot, & quantis sit plenum periculis, ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium nostræ provinciæ, his præsertim temporibus exercere, non solum exacti consideratio temporis docuit, sed considerata prudenter præsentis temporis discrimina indicant; quod nonnulli tempora-*  
le

le dominium obtinentes, suis terminis non contenti, falcem suam in alienam segetem imponere non verentur, satagentes jurisdictioni ecclesiasticae, quantum possunt, illudere, ac eam etiam exquisitis coloribus usurpare. Executores namque, nuntios nostros, seu venerabilium fratrum nostrorum Vicariorum, aut Officialium litteras eis, & subditis suis, seu in dominio ipsorum consistentibus iustitiae deferentes nedum capiunt, immo interimunt & atrociter verberant, ac praecepta suis subditis faciunt de interficiendis eisdem, in Dei offensam notoriam, & ipsorum grande periculum animarum. Quapropter nos Archiepiscopus supradictus, prout decet, & expedit, talia attentantes, qui ipso iure tamquam impediens jurisdictionem ecclesiasticam, excommunicati existunt, congruis remediis ab huiusmodi ausibus retrahere, & ad Dei semitam reducere cupientes, sacro approbante concilio statuimus, quod si talia, & tam nefanda crimina, quod absit, per aliquem iudicem, Marchionem, Comitem, vicecomitem, nobilem, baronem, militem, civem, burgensem, generosum, vel non generosum, & officiales eorum, consules, paciarios, consiliarios civitatum, vel villarum, castrorum, & locorum temporale dominium obtinentes, vel aliquem ejus loco in nostra provincia Tarraconensi commissa de cetero fuerint, omnia loca, castra, seu villa committentis huiusmodi facinus, in diocesi, in qua commissum fuerit, constituta, ipso facto sint supposita ecclesiastico interdicto. Quod quidem interdictum in ecclesiis cathedralibus, & propinquieribus circumvicinis ecclesiis, si commode alibi denuntiari non potest, sufficiat publicari, & processus necessarius in eisdem fieri.

Naturalis dicitur ratio, & experientia manifestat, quod novis morbis nova convenit antidota preparari. Cumque ab aliquibus citra tempora nonnulli excommunicati auctoritate constitutionum sacrorum conciliorum Tarraconensium contra invasores, raptores, & deprædatores hominum ecclesiasticorum, & locorum religiosorum salubriter promulgatarum, munus absolutionis ad cautelam obtinere nituntur, quod numquam, vel raro fieri consuevit; approbatione ejusdem sacri concilii, hoc fieri prohibemus: statuentes, quod si de facto fieret, non valeat absolutio sic obtenta.

Ceterum, quia fide dignorum relatu percepimus, quod nonnulli dominium temporale obtinentes in civitatibus, locis, castris, & villis infra provinciam Tarraconensem, illudentes ecclesiasticae libertati, presbyteros, & clericos simpliciter tonsuratos, vel etiam conjugatos, & personas alias ecclesiasticas, si coram eisdem dominis, vel officialibus allegant tonsuram, vel quod gaudere, cum casus occurrerit, volunt privilegio clericali; vel si pecunia eis data, vel mutuata non fuerit, quam nituntur a dictis presbyteris, vel

clericis exigere, vel exquisitis coloribus, & figmentis, vel quia dicunt eos habere suspectos, seu alias pro libito voluntaris, de dictis civitatibus, castris, locis, & villis, & ipsorum dominio de facto expellunt, vel expelli faciunt; banniunt, seu bannire faciunt: de voluntate, & assensu sacri concilii ordinamus, ut contra dominos, Vicarios, & officiales, seu bajulos dictorum dominorum, & aliorum talia facientes, qui in praemissis, vel aliquo praemissorum deliquerint, vel ratum habuerint, procedatur per constitutiones sacrorum conciliorum Tarracone editas contra invasores, raptores, & deprædatores hominum ecclesiasticorum, rerum & locorum religiosorum, per nos, suffraganeos nostros, Vicarios, & Officiales nostros, & ipsorum, prout fuit hactenus in Tarraconensi provincia fieri assuetum, praefatas constitutiones contra talia impie attentantes, & dantes eis in hoc consilium, auxilium, vel favorem, quos volumus poenis, & censuris dictarum constitutionum ipso facto ligari, penitus extendentes.

Quia malitia delinquentium succrescente, cum per Praelatos, Vicarios, vel Officiales eorum, ex officio, vel ad partis instantiam per constitutiones sacrorum conciliorum Tarraconensium contra eos proceditur, talis processus per delinquentes, seu invasores huiusmodi, praesertim potentes, pluries impeditur; qui exquisitis fraudibus nuntios ad eos portantes litteras, ut coram ipsis Praelatis, Vicariis, & Officialibus compareant, vel procedant, interimunt, capiunt, vel alias faciunt, & procurant, quod huiusmodi litterae ad eorum notitiam nequeant pervenire: statuimus, quod in praedictis casibus, & etiam si sine periculo, vel scandalo verisimili nuntiorum eisdem deferentium, commode praemissa litterae illis, contra quos emanaverint, praesentari non possent, litteras, quae talibus delinquentibus, seu invasoribus diriguntur, in duabus parochiis circumvicinis ipsarum ecclesiarum Rectoribus sufficiat praesentari: quibus per dictos Rectores in suis ecclesiis publice lectis, perinde illi, quibus litterae diriguntur, parere contentis in litteris teneantur, ac si eadem litterae essent eisdem delinquentibus, vel invasoribus praesentatae: & sic consequenter in negotio, seu causa procedatur.

Quoniam aliqui curiosi disceptantes de his, quae non multum expediunt, & plura sapiunt, quam oporteat, contra doctrinam Apostoli temere attentantes in dubitationem sollicitam vertere dignoscuntur, quod a nostris praedecessoribus provide noscitur statutum in constitutione incipiente, Ad reprimendam, versiculo Statuentes, & a summis Pontificibus confirmatum, an nos, & officiales nostri Tarracone requisiti per totam provinciam observare, & observari facere valeamus constitutiones per praedecessores nostros editas contra raptores, invasores personarum eccle-

ecclesiasticarum, rerum, ac bonorum, & hominum eorundem diffidatores, damnificatores personarum, ac bonorum ecclesie, fautores raptorum, & damnificantium predictorum: nos, sacro concilio requirente, & unanimiter approbante, cupientes hesitationis materiam amputare, declaramus, quod quascumque constitutiones a predecessoribus nostris editas contra dictos raptos, invasores personarum ecclesiasticarum, rerum, ac bonorum, & hominum eorundem diffidatores, damnificatores, receptatores raptorum, & damnificantium predictorum, nos, & Officialis noster, qui Tarracone nunc sumus, & pro tempore fuerint, per quemcumque de provincia, & quotienscumque fuerimus requisiti contra quoslibet de provincia, & qui infra eandem dicta crimina commiserunt, seu quomodolibet deliquerunt, & etiam absque requisitione, & ex officio pro nobis, & ecclesia Tarraconensi ac Canonicis ejusdem, nostris, & ipsorum familiaribus quibuscumque possimus libere per totam Tarraconensem provinciam observare, & facere observari: & secundum earum formam contra predictos in qualibet diocesi suffraganeorum nostrorum, & contra ipsorum subditos, & ad eorum requisitionem, & pro predictis delictis ibidem perpetratis procedere, & procedi facere super eis. Et super his nostri suffraganei, & eorum Officiales, ac ipsorum subditi teneantur nobis, seu Officiali nostro, nostrisque successoribus & eorum Officialibus obedire; nedum pro committendis in futurum contra constitutiones predictas, immo pro his, quae contra eas sunt etiam iam commissa: Officiales, & subditos dictorum suffraganeorum, sacro approbante concilio, si in praemissis impedimentum praestiterint, excommunicationis sententia innodantes; a qua nisi per nos, & Officiale nostrum absolutionis debitum nequeant obtinere. Nulli ergo liceat declarationem hujusmodi interpretari, restringere, vel artare, si excommunicationis sententiam, approbante concilio, per nos latam contra hujus antiqui statuti declarationem hesitantes, in dubium vertentes, seu etiam restringentes, cupiant evitare.

Provide attendentes, & quod raptos, & depradatores hominum ecclesiarum, ecclesiasticarum rerum, locorum religiosorum, excommunicationis sententia, sacro approbante concilio, innodantur; & in poena aggravationem in eorum presentia cessatur etiam a divinis: animadvertentes personas majori, quam res debere privilegio, & immunitate gaudere; de communi totius sacri concilii consilio, & assensu statuendo declaramus; vulnerantes, vel atrociter percutientes Praelatos, vel Vicarios, seu Officiales, vel Decanos, Canonicos, vel religiosos, vel alios clericos in sacris ordinibus, seu beneficiatos, aut procuratores fiscales dictorum Praelatorum, seu eorum Officialium, dum ta-

men clerici soluti existant, subiacere poenis, & sententiis supradictis; & in eorum presentia cessari debere penitus a divinis, iuxta modum, & formam, qui in constitutionibus Item cum quidam, & Olim, contra invasores editis expressantur: aliis poenis in jure & constitutionibus appositis nullatenus derogantes.

Quoniam ex poenis in constitutione incipienti, Praedecessorum nostrorum &c. impositis contra diffidantes, seu acuidantes Praelatos, vel alias personas ecclesiasticas in dicta constitutione contentas, propter temporis malitiam, & multorum, proh dolor, pravitatem, praefato morbo, ut deceret, non est usquequaque provisum, quo minus Dei timore, & poenis praefatis postpositis, & spreis, nonnulli diffidare, seu acuidare personas ecclesiasticas in praefata constitutione contentas, & diffidantibus dare consilium, auxilium, vel favorem nullatenus vereantur: idcirco, quia crescente contumacia, debet crescere ipsa poena, adiiciendo statuimus; quod si post monitionem factam personaliter vel publice in ecclesia, ubi domicilium habuerint diffidantes praefati, per Rectorem, seu ejus locum tenentem, vel alium loco sui, de mandato Praelati ipsius Rectoris, vel Officialis ejusdem, infra decem dierum spatium praefata acuidamenta, seu diffidamenta non revocaverint cum effectu, ex tunc in ecclesiis civitatum, villarum, vel locorum, quamdiu praefati diffidantes, seu acuidantes praesentes fuerint, cessatur penitus a divinis, ut cessatur, seu cessari debet in praesentia invasorum, raptorum, & depradatorum hominum ecclesiarum, ecclesiasticarum rerum, & locorum religiosorum; aliis poenis in praefata constitutione contentis in suo robore duraturis.

Iustum quidem decernimus, & necessitate compellimur, nos Enneus miseratione divina sanctae Tarraconensi ecclesiae Archiepiscopus, provinciale concilium celebrantes, quod in his, quae sunt salubriter provisum, si declaratione, vel additione indigeant, prout experientia docuerit, debita provisionis remedium apponamus. Cum itaque in modo procedendi vigore constitutionum provinciarum de invasoribus contra delinquentes, in eis per nos approbatione sacri concilii edito, sit provisum, quod contra detinentem notorie clericum, vel monachum, fratrem Minorem, vel hujusmodi similem habitum regularem gestantem, si requisitus eum restituere noluerit, sine aliqua informatione poena dictarum constitutionum contra eum declarentur: & de capto non notorie clerico recipiatur informatio summatim, si est clericus gaudens privilegio clericali; & contra detinentem procedatur juxta tenorem decretalis Si iudex, de sententiis excommunicationis lib. VI. Adiciamus, sacri concilii approbatione, & declaramus, quod si per dictam in-

for-

formationem constiterit, talem captum esse clericum gaudentem privilegio clericali, contra detentorem ejusdem procedatur ad declarationem dictarum constitutionum, uti de notorio clerico est provisum.

Item, cum in constitutione per bonæ memoriæ Petrum Archiepiscopum Tarraconensem prædecessorem nostrum edita, incipiente, Olim excommunicasse recolimus, caveatur, quod quamdiu principales malefactores, invasores, & raptores rerum, & bonorum ecclesiasticorum, & hominum, ac locorum eorum fuerint in aliqua civitate, vel villa, in eorum præsentia cessetur penitus a divinis: & sepe acciderit, quod quidam domini civitatum, vel villarum huiusmodi, & eorum officiales, eorum, qui deprædati sunt, damna non sentientes, & ipsorum, & ecclesiæ injurias pro nihilo habentes, malefactores prædictos multo tempore sustinuerunt quandoque in odium ecclesiarum, & damna passorum prædictorum; ex quo delictorum eorundem esse videntur participes, & consortes: dignumque reputemus, quod tales etiam pœnam sentiant eorum, sacri concilii approbatione adicimus, & statuimus, quod si dominis civitatis, villæ, castri, aut loci, in quibus malefactores fuerint receptati; vel eorum officialibus constiterit, tales malefactores in eis fuisse per octo dies receptatos, nisi eosdem a suis civitatibus, castris, villis, vel locis infra decem dies post dictos octo dies immediate secuturos requisiti ejecerint cum effectu, ita quod amplius ad ipsos, vel ipsa, vel jurisdictiones eorum non redeant, tales domini, & eorum officiales simili sint excommunicatione ligati: & in eorum præsentia, ut in fautoribus, & receptoribus cessetur penitus a divinis. Ab hac autem pœna tantum excludimus dominum Regem, & dominam Reginam, & eorum primogenitum, & uxorem suam.

Quidam officiales sæculares provinciæ Tarraconensis privilegium clericis conjugatis a sacris canonibus indulgunt, quo pro excessibus seu delictis per eos commissis, seu de quibus delati fuerint, in personis, & bonis de ecclesiastici iudicis foro existunt, eis auferre, & ecclesiasticam jurisdictionem sibi usurpare callida fraude, ut percepimus, cupientes, privilegium prædictum quoad personas dictorum clericorum restringunt, bona vero eorundem esse asserunt, licet fide, de foro sæculari: & his non contenti, multotiens dictos clericos in odium ecclesiasticæ jurisdictionis capiunt, & eorum bona occupant, etiam de facto: & cum ex his per ecclesiasticum iudicem proceditur contra eos pro dictorum bonorum restitutione, respondent, & excipiunt contra veritatem, quod dicta bona non capiunt ratione delicti, sed eo, quia asserunt esse domini temporalis: & quod dominus temporalis vult, quod ipsa bona capiantur, & occupentur per eosdem. Nos autem huic pernicioso abu-

sui obviare, & ecclesiasticæ jurisdictioni, ut illibata persiltat, providere debito remedio cupientes, approbante sacro concilio, excommunicamus quoscumque officiales, & personas quacumque auctoritate, vel potestate fungantur, talia attentantes: & contra ipsos, & ipsas, ut invasores, & occupatores rerum & bonorum, ac iurium Ecclesiæ, prout revera existunt, procedi volumus: & pœnas constitutionum de invasoribus in eis decernimus locum habere, & esse servandas.

Veniet ad iudicium damnus passus, & in scriptis coram Officiali principali, vel in eius absentia coram vices gerente suam querellam proponet: in qua continebitur, quod talis, vel tales raubarunt, vel invaserunt rem ecclesiæ violenter, vel contra ecclesiasticam libertatem fecerunt: & sic de aliis, secundum quod continetur in constitutionibus sacrorum conciliorum Tarraconens. de invasoribus dicentibus contra malefactorem summarie, breviter, & de plano absque litis contestatione procedi. Et in fine ipsius querelle proponat, seu offerat stare juri cuicumque obligandoque bona sua, vel sui principalis, si intervenerit in ipsa causa procurator, neque erit dare firmancias necesse, seu facere alias obligationes. Iudex autem recepta, & retenta querella, citet illico, vel statim quo modo poterit, ipsum malefactorem, & fautores, juxta proposita in querella, si sciat ubi moram faciant, vel personaliter existant, si citari commode possint: & sibi ipsam querellam per sagionem, seu nuntium juratum curiæ transmittat; vel absque copia ipsius querelle, sed causa expressa: tamen si veniet, & copiam ipsius querelle peter, est sibi danda: neque est necesse, quod citatio eundem malefactorem personaliter apprehendat, postquam fuerit citatus: addendoque in fine querelle, ac in eadem littera sibi dicat expresse, quod restituat talem rem, si quam recepit, seu de facto occupavit, vel restituat talem in sua possessione, vel libertate ecclesiastica; vel hominem ecclesiæ, si captum detineat; vel talia bona, si sunt mobilia, quæ dicitur violenter recepisse, seu occupasse; una cum omnibus damnis, interesse, ac expensis, quas, & quæ fecit, vel sustinuit pars ipsa conquerens: vel tali die compareat coram eodem, iustas causas, si quas habet, propositurus, vel ostensurus: alias quod dictus iudex procedat contra dictum malefactorem, seu invalorem per constitutionem sacri concilii Tarraconensis juxta, & secundum petita in præfata querella. Et si dictus malefactor veniat, & dicat, ac coram ipso iudice proponat, quod iure facere potuit, vel quod impune poterat alias hoc fieri; audiendus est, & in suis probationibus tam per testes, quam per alias probationes admittendus; quas summarie ipse iudex recipere debet, ac teneatur. Et si infra tempus per ipsum iudicem assignatum non probaverit, se

iuste

juste fecisse, ergo præsumitur quod injuste. Quare iudex procedat absque alia iuris solemnitate, tamquam contra malefactorem ad declarandum ipsum incidisse in excommunicationis sententiam, & in alias pœnas in ipsis constitutionibus contentas, juxta etiam petita in querella. Si autem simpliciter neget contenta in dicta querella; tunc iudex recipiat suam ex officio informationem absque alia partis vocatione. Et si sibi constiterit de contentis in ipsa querella, iudex ipse habeat declarare sine difficultate quacunque, ipsum malefactorem incidisse in excommunicationis sententiam, & in alias pœnas constitutionum sacri concilii Tarraconensis, juxta, & secundum in prædicta querella petita. Si autem non vult coram eo in iudicio comparere, vel iustas rationes, si quas habet, ad sui defensionem proponere; vel non invenitur, quia forte cum præda recessit, vel est extra terram, vel commode etiam citari non potest; & damnum passus, qui spoliatus est, fraudaretur, cum afflictio non est danda afflictio, si talis malefactor expectaretur; tunc si dictus iudex habeat in continenti, vel statim quando commode poterit, summariam informationem super dicta querella oblata recipere, etiam parte contraria non vocata. Tamen faciat iudex ipse hoc casu ut merus executor, & sic non requiritur iudicarium ordinem observari etiam de jure communi. Et si invenerit ita fore, debet iudex citare ipsam malefactorem ad suam audiendam declarationem dumtaxat: qui si non veniat, in eius contumaciam declarationem faciat; declarando eundem excommunicatum, ac incidisse in excommunicationis sententiam, & in alias pœnas, juxta, & secundum formam, ac tenorem constitutionis sacri concilii Tarraconensis, & illico mandet litteras fieri Rectoribus ecclesiarum, &c. & specialiter illi Rectori illius parochiæ, in qua dictus malefactor audire consuevit divina, ac de cuius est parochia: ut quamdiu sit præsens ipse malefactor, vel eius præda in illa parochia, cessetur penitus a divinis, & deinde per totam provinciam Tarraconensem, & inseratur causa, quare hoc facit ipse iudex, in littera, seu litteris prædictis. Et numquam est absolvendus ab excommunicationis sententia dictus malefactor, donec plenarie satisfecerit damnum passis de omnibus damnis, injuriis, interesse, ac expensis. Nec est admittenda ejus appellatio, si talis de facto appelleret: immo iudex apostolos negativos tradere reneatur, neque absolvatur etiam ad cautelam: cum in facto constitutionum non habeat locum absolutio ad cautelam, & contra minores personas. Si autem persona illa, quæ dicitur raptor, sit potens, ut puta nobilis, vel baro, vel dominus illius loci, vel dominus loci tenens officium procuratoris pro aliquo domino temporali potenti, vel vicaria, si-

Tom. III.

ve bajuliæ; vel cum eo faciat partem universitas alicujus civitatis, villa, vel loci, in quo informatio habebit recipi, & illius loci habitatores testificari, ne per talium personarum potentiam facti veritas valeat occultari, vel probatio debita impediri, si scient per rationes talem processum constitutionum prædictarum fieri: ante aliquam citationem recipiatur informatio super querella oblata, qua informatione recepta, si per illam constet de contentis, & assertis in eadem, citetur invasor, seu malefactor subtili forma: „ Cum constet nobis de prædictis „ per summariam informationem, &c. requirimus, & monemus, quatenus infra talem „ terminum VI. vel X. dierum, secundum locorum distantiam, quem peremptorie assignamus, restituatis rapta, &c. vel conveniatis amicabiliter, &c. vel dicta tali die coram nobis in iudicio compareatis iustas causas, si quas habetis, propositurus, & ostensus: alioquin, lapso termino, procedemus „ ad declarationem excommunicationis sententiæ ac pœnarum in dictis constitutionibus „ sacri concilii Tarraconensis contentarum, „ juxta in querella petita “. Verumtamen si sine periculo, vel damno verisimili nuntiorum eisdem litteras deferentium commode prædictæ litteræ illis personis presentari non possent, seu potuerint, quæ talibus delinquentibus, seu invasoribus diriguntur, in duabus parochiis circumvicinis ipsarum ecclesiarum sufficiat presentari. Et, si dictus malefactor citatus, vel monitus venerit in termino assignato, & petit copiam de contentis in querella, datur sibi copia de querella, non autem de attestacionibus jam receptis: & audiantur defensiones, ut supra, in casu præmissis: quas si non habuit, vel minus iustas, fiat declaratio, ut supra. Si vero malefactor venire in termino assignato contempserit, vel alias adimplere contenta in litteris prædictis ipsius iudicis, reputabitur contumax, & in ejus contumacia procedetur ad declarationem, &c. Si autem requiratur procedi ad deliberationem personæ ecclesiasticæ, quæ capta detinetur, distinguitur: quia aut est notorium, quod ille, qui captus detinetur, est clericus gaudens privilegio clericali, ut quia notorie Canonicus, vel presbyter, vel in sacris ordinibus constitutus; tunc in præmissis casu, eo quo de captione constat, & requisitus restituere noluerit; sine aliqua citatione declarantur pœnæ dictarum constitutionum, &c. Et idem si est persona ecclesiastica notorie, ut quia est monachus, frater Minor, vel hujusmodi similes habitum regularem publice deferentes. Si autem non sit notorium, captum fore clericum gaudentem privilegio clericali, in hoc casu recipitur informatio summaria, si est clericus, gaudens privilegio clericali; & proceditur attentis serie, & tenore decretalis: Si iudex, de sententiis excommunicat. lib. sexto Et dictus processus debet remanere penes Or-

R r r

dina-

dinarium, qui aggravare poterit participantes cum eodem malefactore, trina monitione in ipsa parochia per tres dies dominicos, vel festivos publice facta: post quas denuntiationes, si qui tales denuntiatos excommunicatos in suis domibus vel hospitibus ad habitandum receperint, vel receptos sustinuerint, tales receptores, vel sustinentes iudex ipse etiam denuntiet, seu denuntiari faciat publice in ecclesiis excommunicatos, cum ipso facto inciderint in excommunicationem contra præmissa faciendo: quos excommunicatos denuntiare tenetur iudex etiam ex officio, absque cujuscumque requisitione, usque ad satisfactionem condignam, prout hæc, & alia in præfatis constitutionibus latius continentur. Et de tali processu faciendo nihil debet

recipere, vel habere iudex, nisi solum expensas, si contingat ipsum iudicem extra civitatem, locum, vel villam, ubi habitat, exire, & circa præmissa intendere, seu vacare. Sed notarius de scripturis potest, seu debet salarium temperatum habere; ut in dictis constitutionibus plenius habetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis, communitio- nis, additionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incuriurum. Dat. Romæ apud Sanctos Apostolos, quarto idus Januarii, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

## De Procœmiis, & Conclusionibus Conciliorum.

*Procœmium constitutionum Joannis Sabinensis Episcopi, Apostolicæ sedis Legati.*

**N**OS Joannes, Dei gratia Sabinensis Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, provinciale concilium in præsentibus, & assistentibus nobis venerabilibus in Christo patribus S. Tarraconensi Archiepiscopo, B. Barcinonensi, G. Gerundensi, G. Vicensi, P. Urgelleni, B. Ilerdensi, P. Dertusensi, & G. Olcensi Episcopis, nec non & multis Abbatibus, & aliis ecclesiarum Prælatibus provinciæ Tarraconensis, anno Domini MCCXXIX. quarto Kalendas Aprilis, constitutiones quædam, sive ordinationes edidimus sequentes, *Animarum &c.*

*Factisque, & publicatis constitutionibus prædictis in concilio Ilerdensi de consilio Archiepiscopi Tarraconensis, & Suffraganeorum ejusdem, dominus Legatus executionem earum commisit S. Archiepiscopo Tarraconensi, in hunc modum.*

*Litteræ ejusdem Legati ad Sparagum Archiepiscopum Tarraconensem.*

**V**enerabili in Christo patri S. Dei gratia Tarraconensi Archiepiscopo, I. ejusdem permissione Sabinensis Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, salutem in Domino. Parum est in civitate jus esse, nisi qui illud tueatur, existat: nec prodesset jura insurgere contra malos, si deesset juri executor. Quia ergo complures \* in vestra provincia, divino timore, & ecclesiastica disciplina a se penitus abdicatis, contra constitutiones a nobis salubriter promulgatas in concilio Ilerdensi, fraudulentis occasionibus super obtinendis pluribus beneficiis curam animarum habentibus: & alii etiam fraudes quamplurimas excogitando venire præsumunt, vo-

\* igitur  
quam plures

lentes per sollicitudinem a nobis ecclesiasticæ provisionis susceptam, hujusmodi fraudibus obviari, ac prædictas constitutiones nostras providæ executioni mandari; vobis, qua fungimur auctoritate, mandamus in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis, præcipientes firmiter, & districtè; quatenus constitutiones per vos ipsos humiliter observantes, eisdem in omnibus, & per omnia, qua convenit districtione, ab aliis faciatis inviolabiliter observari, nulli in hac parte aliquatenus deferendo: ut zelum Domini vos demonstratis habere, nec homini deferre videamini contra Deum. Alioquin si in præmissis notabiliter exequendis extiteritis, quod non credimus, negligentes, pœnam suspensionis expressam superius merito poteritis formidare. Speramus autem in Domino, quod super observantia constitutionum taliter vestræ circumspèctionis providentia se habebit, quod non de negligentia reprehendi, sed potius de diligentia merito debebitis commendari. Datum Tutel. Kal. Maii.

*Procœmium constitutionum ejusdem Sparagi Archiepiscopi.*

**P**ateat universis, quod nos Sparagus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus, de mandato, & auctoritate reverendi patris, & domini Joannis Dei gratia Sabinensis Episcopi, quondam Apostolicæ sedis Legati, in Tarraconensi ecclesia generale concilium celebrantes, anno Dominicæ incarnationis MCCXXX. Kalendis Maii, intervenientibus venerabilibus fratribus, G. Vicensi, P. Dertusensi, G. Olcensi, B. Barcinonensi Episcopis, ac procuratoribus aliorum Episcoporum Tarraconensis provinciæ, &c. statuta hujusmodi faciamus in hunc modum, *Cum diversæ &c. Quoniam nonnulli, & infra.*

Pro-

*Proœmium constitutionum Petri primi Archiepiscopi in primo concilio.*

**N**OS Petrus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus, congregato provinciali concilio Tarracone, anno Domini M. CC XXXIX. decimoquarto Kalendas Maii, præsentibus venerabilibus fratribus Barcinonensi, Dertufensi, Gerundensi, Urgellensi, Vicensi, Oscensi, Ilerdensi Episcopis, constitutiones venerabilis patris Joannis Sabinensis Episcopi bonæ memoriæ, Apostolicæ sedis Legati ad memoriam reducentes, easdem post earum publicationem præcipimus observari: alias de novo edimus in forma sequenti, *Excommunicantes &c.* & infra: *Statuimus.*

*Ego Joannes de Guardia notarius Domini Archiepiscopi memorati, mandato ipsius, & suffraganeorum supradictorum hoc scribi feci die, & anno præfixis.*

*Proœmium constitutionum ejusdem Petri in secundo concilio.*

**N**OS Petrus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus, præsentibus in concilio in civitate Valentiniæ congregato, anno Domini MCCXL. octavo idus Maii, & eodem convenientibus in unum venerabilibus fratribus B. Barcinonensi, R. Ilerdensi, P. Dertufensi, V. Oscensi Episcopis, & V. Cæsaraugustano, & F. Valentino electis, aliisque \* Episcopis suffraganeis nostris se per suas litteras, & nuntios excusantibus, constitutiones edidimus sequentes.

*Ego Joannes de Guardia notarius Domini Archiepiscopi memorati, mandato ipsius, & suffraganeorum supradictorum hoc scribi feci die, & anno præfixis.*

*Proœmium constitutionum ejusdem Petri in tertio concilio.*

**A**NNO Domini MCCXLII. tertio idus Maii, Nos Petrus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus, una cum venerabilibus fratribus, P. Dertufensi, P. Urgellensi, & V. Oscensi Episcopis, & procuratoribus Episcoporum absentium apud Tarraconem in provinciali concilio congregati, deliberatione habita, & tractatu, salutem animarum, & statui universalis provinciæ prospicere cupientes, quasdam ordinationes, sive constitutiones edidimus, prout in subiectis capitulis exprimuntur.

**SUBSCRIPTIONES.**

*Ego Petrus sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus, subscribo.*

*Ego Petrus Dertufensis Episcopus subscribo.*

*Signum Pontii Urgellensis Episcopi.*

*Ego Vitalis Oscensis Episcopus subscribo.*

*Ego R. de Albutiano Gerundensis Archidiaconus subscribo.*

*B. Barcinonensis Archidiaconus firmo.*

*Ego Michael Belchitensis Archidiaconus subscribo.*

*Ego Sanctius Petri Episcopi Tyrasonensis procurator, subscribo.*

*Ego Bernardus Anajanus Ilerdensis Canonicus, procurator Episcopi Ilerdensis.*

*Ego R. de Spelunca Canonicus Ilerdensis subscribo.*

*Ego Michael de Alchoario subdiaconus hoc scripsi mandato prædictorum, die, & anno quo supra.*

*Proœmium constitutionum ejusdem Petri in quarto concilio.*

**A**NNO Domini MCCXLIII. tertio nonas Maii, Nos Petrus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus in civitate Tarraconensi concilium celebrantes præsentibus venerabilibus fratribus, P. Dertufensi, B. Vicensi, V. Oscensi, R. Ilerdensi, & V. Cæsaraugustano Episcopis, & præsentibus procuratoribus quorundam aliorum suffraganeorum nostrorum, videlicet, B. de Villagranata Archidiacono, pro ecclesia Barcinonensi pastore vacante; A. de Miniana, & R. de Avinione Canonicis, pro Episcopo Gerundensi; M. Petri Archidiacono Tyrasonensi, pro suo Episcopo magistro Roberto capellano domini Ricardi Cardinalis, pro Episcopo Pampilonensi; & R. Ilerdensi Episcopo supradicto pro Calagurritano Episcopo: præsentibus, inquam, omnibus supradictis suffraganeis ecclesiæ Tarraconensis, & aliis quamplurimis viris religiosis, & clericis: Valentino Episcopo absente, qui, dum accederet ad concilium, a Sarracenis, ut dicebatur, peccatis exigentibus, fuit captus: habita deliberatione, & tractatu ad reformationem status totius provinciæ nostræ, communi voto, & consensu quædam jura, quæ in defuetudinem abierant, ad memoriam reducentes, quædam etiam de novo addentes, quæ necessaria, & utilia videbantur, constitutiones sacro approbante concilio edidimus in hunc modum, *Statuimus in primis &c.* & infra.

**SUBSCRIPTIONES.**

*Ego Petrus sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.*

*Ego Pontius Dertufensis Episcopus subscribo.*

*Ego B. Ausonensis, sive Vicensis Episcopus subscribo.*

*Ego Vitalis Oscensis Episcopus subscribo.*

*Ego frater R. Ilerdensis Episcopus subscribo.*

*Ego frater Vincentius Cæsaraugustanus Episcopus subscribo.*

*B. Barcinonensis Archidiaconus tenens locum Episcopi vacante sede, firmo.*

*Signum A. de Miniana Gerundensis Canonici, & procuratoris Episcopi Gerundensis.*

*Signum R. de Avinione Gerundensis Canonici, & procuratoris Episcopi Gerundensis.*

*Ego M. Petri Tyrasonensis Archidiaconus, procurator Episcopi Tyrasonensis, subscribo.*

*Ego Robertus curiæ Romanæ scriptor, procurator domini Pampilonensis Episcopi, subscribo.*

*Signum Ricardi Archidiaconi Urgellensis, procuratoris domini Episcopi Urgellensis.*

*Signum fratris Hugonis de Fulcalquerio magistri Hospitalis.*

*Signum fratris R. de Serra magistri militiae templi, qui hac \* firmamus.*

*Ego Joannes de Rubione notarius domini Archiepiscopi supradicti, mandato ejusdem hoc scribi feci, die, & anno præfixis.*

*Ego Michael de Alchoario subdiaconus, hoc scripsi mandato Joannis de Rubione notarii supradicti, die, & anno, quo supra.*

*Procœmium constitutionum ejusdem Petri in quinto concilio.*

**A**Nno Domini incarnationis MCCXLIV. pridie idus Januarii. Cum parum profit in civitate jus esse, si desit jurium executor; nos Petrus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus, attendentes, quod constitutiones editæ in concilio Lateranensi, & constitutiones domini Sabinensis per \* negligentiam Prælatorum in desuetudinem abierunt, sacro approbante concilio mandamus venerabilibus fratribus nostris præsentibus in provinciali concilio Tarraconensi, P. Dertusensi, G. Gerundensi, V. Oscensi, R. Ilerdensi, V. Cæsaraugustano, P. Pampilonensi, & P. Barcinonensi Episcopis, & aliis Episcopis suffraganeis nostris; ut diligentem habeant cum suis capitulis super observatione præmissorum tractatum; & ea faciant tam in ecclesiis cathedralibus, quam in suis diocesibus inviolabiliter observari, si debitam voluerint effugere ultionem. Quoniam in sequenti concilio super hoc inquisitione habita diligenti, transgressores, & negligentes animadversione debita punientur. Nos etiam cum visitationis causa ad dioceses descendemus, super his officii nostri debitum exequemur, *Et quia &c.*

#### SUBSCRIPTIONES.

*Ego Petrus sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.*

*Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.*

*Ego R. Ilerdensis Episcopus subscribo pro me, & pro A. Calagurritano Episcopo, cujus sum procurator.*

*Ego frater Vincentius Cæsaraugustanus Episcopus subscribo.*

*Ego Petrus Pampilonensis Episcopus pro me & pro Tyrasonensi Episcopo, cujus sum procurator, subscribo.*

*Ego frater Petrus Barcinonensis Episcopus subscribo.*

*Ego Geraldus Celsonensis præpositus, Urgellensis Episcopi procurator, subscribo.*

*Signum fratris Guillelmi de Cardona magistri militiae Templi in Aragonia, & Catalonia, qui hoc laudo, & firmo.*

*Ego Michael de Alchoario Subdiaconus hoc scripsi mandato omnium prædictorum die & anno quo supra.*

*Procœmium constitutionum ejusdem Petri in sexto concilio.*

**A**Nno Domini MCCXLVI. cal. Maii, convenientibus in unum venerabilibus patribus, P. Dei gratia Tarraconensi Archiepiscopo, P. Dertusensi, R. Ilerdensi, F. Calagurritano, R. Cæsaraugustano, A. Valentino, P. Barcinonensi, & B. Gerundensi Episcopis, & procuratoribus Oscensis, Tyrasonensis, Vicensis Episcoporum, apud Tarraconem in concilio provinciali, habita deliberatione, & consilio, ad honorem Dei, ejusque genitricis, & totius provinciæ status salubriter statuerunt ea, quæ inferius annotantur, *Cum Episcopi, & infra.*

#### SUBSCRIPTIONES.

*Ego Petrus sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.*

*Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.*

*Ego R. Ilerdensis Episcopus subscribo.*

*Ego frater Petrus Barcinonensis Episcopus subscribo.*

*Ego Arnaldus Valentinus Episcopus subscribo.*

*Ego Rodericus Cæsaraugustanus Episcopus subscribo.*

*Ego frater B. Gerundensis Episcopus subscribo.*

*Ego Joannes de Guardia notarius domini Archiepiscopi memorati, mandato ipsius, & supradictorum suffraganeorum hoc scribi feci die, & anno præfixis.*

*Procœmium constitutionum ejusdem Petri in septimo concilio.*

**A**Nno Domini MCCXLVII. decimo calend. Maii, convenientibus in unum venerabilibus patribus, nobis P. Dei gratia Tarraconensi Archiepiscopo, P. Dertusensi, R. Cæsaraugustano, & B. Vicensi Episcopis, magistro Berengensi, & P. de Mesarata (procuratoribus) Barcinonensis Episcopi, magistro Matthæo (Ilerdensi procuratore) Urgellensi Episcopi, G. Vitali Ilerdensi Capituli \*, M. Archidiacono Valentiniano [ pro Episcopo Valentiniano ] R. Archidiacono [ pro Episcopo ] Calagurritano, & ( ejus procuratore ) M. Petri Archidiacono ( pro ) Tyrasonensi Episcopo \*, apud Tarraconem in provinciali concilio, cum Petri navicula, variis tribulationum procellis undique irruentibus, in mari hujus sæculi tumultuosius agitur, & adversus Dei ecclesiam in subversionem fidei, & conculcationem libertatis ecclesiasticæ, persecutionis ollam succendat \* humani generis inimicus, nec sit de qualitate meritorum hominum confidendum: sed devotius solito divinum auxilium in tanto necessitatis articulo implorandum, sacro approbante concilio duximus itatuendum (&c.) *Quod in singulis, & infra.*

#### SUBSCRIPTIONES.

*Ego Petrus sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.*

*Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.*

*Ego Raimundus Cæsaraugustanus Episcopus subscribo.*

Si-

\* hoc

\* propter

\* magistro

\* Episcopi procuratoribus

\* succenderit



Signum B. Dei gratia Vicensis Episcopi.  
Signum magistri Berengarii de Curri procuratoris Episcopi Barcinonensis.

Signum magistri Matthæi de Ilerda procuratoris domini Episcopi Urgellensis.

Signum magistri M. Archidiaconi Valentini, procuratoris domini Episcopi Valentini.

Ego Guill. Vitalis subscribo ratione procuratoris ecclesie Ilerdensis.

Ego R. Semeni Archidiaconus Calagurritanus, & procurator ejusdem ecclesie, subscribo.

Ego M. Petri Archidiaconus, procurator domini Tyraconensis Episcopi, subscribo.

Signum Petri de Meserata procuratoris Episcopi Barcinonensis.

Ego Joannes de Guardia notarius domini Archiepiscopi supradicti, mandato ejusdem, & supradictorum suffraganeorum, die, & anno præfixis, hæc scribi feci.

Proæmium constitutionum ejusdem Petri in octavo concilio.

\* XLVIII.

**A**Nno Domini MCCXLIX. \* idibus Martii, Nos Petrus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus, in civitate Tarraconenti concilium celebrantes, præsentibus venerabilibus fratribus P. Dertusensi, V. Oscensi, P. Barcinonensi, G. Ilerdensi, & A. Valentino Episcopis: P. Alberti Capituli Barcinonensis, ac Gerundensis Episcopi, B. Burdi, B. Vicentis, B. de Pratis Priore Urgellensis, G. Cæsaraugustano Sacrista Cæsaraugustani, & S. Petri Tyraconensis Episcoporum, & P. de Lerato Cantore Ilerdensis, S. de Boleja Oscensis Capitulum procuratoribus, fratre T. Rivipollensi, & fratre P. sancti Cucufatis Abbatibus, communi approbatione concilii ordinavimus inferius annotata, & in primis, *Quod domino Jacobo Regi &c. & infra, Item cum non sine gravi &c.*

SUBSCRIPTIONES.

Ego Petrus sanctæ Tarraconensis ecclesie Archiepiscopus subscribo.

Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.

Ego Vitalis Oscensis Episcopus subscribo.

Ego frater Petrus Barcinonensis Episcopus.

Ego frater G. Ilerdensis Episcopus subscribo.

Ego frater Andreas Valentinus Episcopus subscribo.

Ego Petrus Albertus Barcinonensis Canonicus procurator domini Gerundensis Episcopi, subscribo.

Ego Sanctius Petri Canonicus Tyraconensis, procurator domini Tyraconensis Episcopi, subscribo.

Ego Ricardus Archidiaconus Urgellensis procurator domini Episcopi Vicentis, subscribo.

Ego Benedictus Urgellensis sedis Prior, procurator domini Urgellensis Episcopi, subscribo.

Ego Guill. de Alarico notarius domini Archiepiscopi supradicti, mandato ejusdem,

& prædictorum omnium scribi \* feci die, & anno præfixis. *hæc scribi*

Proæmium constitutionum Benedicti Archiepiscopi in primo concilio.

**A**Nno Domini MCCLIII. sexto idus Aprilis, nos Benedictus divina providentia Tarraconensis Archiepiscopus, in civitate Tarraconensi sacrosanctum concilium celebrantes præsentibus venerabilibus fratribus A. Cæsaraugustano, B. Gerundensi, G. Ilerdensi, & D. Oscensi Episcopis; & præsentibus aliorum suffraganeorum nostrorum, & eorundem Capitulum procuratoribus ac venerabilibus, & discretis viris P. de Granyana castellano Empostæ, & Jacobo de Timor tenente locum magistri domus militiæ Templi, consideratione habita diligenti.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Benedictus divina providentia Tarraconensis Archiepiscopus, hoc firmo.

Ego Arnaldus Cæsaraugustanus Episcopus subscribo.

Ego Frater B. Gerundensis Episcopus subscribo.

Ego magister V. Oscensis Episcopus subscribo.

Ego frater G. Ilerdensis Episcopus subscribo.

Ego P. Petri Prior Oscensis procurator Capituli, subscribo.

Ego B. Anajarii Ilerdensis Archidiaconus procurator Capituli, subscribo.

Ego P. Guillelmi Tyraconensis Canonicus, procurator una cum Sacrista Tyraconensis Episcopi, & Capituli Tyraconensis subscribo.

Ego Berengarius de Spiellis Præcentor Barcinonensis & procurator Episcopi, & Capituli ejusdem, firmo.

Ego Petrus Marsagalli scriptor dicti domini Archiepiscopi, hoc scripsi mandato omnium prædictorum, die, & anno præfixis.

Proæmium constitutionum ejusdem Benedicti in secundo concilio.

**A**Nno Domini MCCLVI. decimo septimo cal. Junii, nos Benedictus Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus, in civitate Tarraconensi sacrosanctum concilium celebrantes, præsentibus venerabilibus fratribus B. Vicentis; A. Barcinonensi, V. Oscensi, & P. Gerundensi Episcopis; & Episcoporum, & Capitulum Tyraconensis, & Cæsaraugustani; ac Capitulum Pampilonensis, Oscensis, Ilerdensis, Barcinonensis, Gerundensis, & Calagurritanæ ecclesiarum procuratoribus, & Abbatibus de Bellopodio, & de Cardona, & præposito Celsonensis, & procuratore Abbatis Iraxensis & discretis viris fratre Geraldo Amici hospitalis Hierosolymitani, & fratre Hugone de Sohi \* militiæ Templi magistris; considerantes, quod constitutiones de novo editæ periculum animarum plerumque inducunt, dum a subditis non servantur, de novo constitutiones ali-

\* Jolia

ali-

aliquas edere noluimus: sed firmiter, ac districte mandamus, quod constitutiones, quæ per dominum Papam Innocentium tertium, & quartum, & per dominum Joannem Sabinensem Episcopum, in Hispaniæ partibus olim legationis officio fungentem, & per prædecesores nostros in conciliis provincialibus editæ sunt, quas in præfenti concilio confirmamus, & approbamus; ab omnibus nostræ provinciæ inviolabiliter observentur, & infra.

#### SUBSCRIPTIONES.

*Ego Benedictus Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus, hoc firmo.*

*Signum B. Dei gratia Vicensis Episcopi.*

*Ego V. Oscensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio.*

*Ego P. Dei gratia Gerundensis Episcopus subscribo.*

*Signum fratris Joannis Abbatis Bellipodii.*

*Ego B. Cardonensis Abbas.*

*Ego B. Celsonensis præpositus subscribo.*

*Ego Petrus Guillelmi procurator Cæsaraugustani, & Tyrasonensis Episcoporum, & Capituli Tyrasonensis, hoc firmo.*

*Ego E. Lupi de Luna Archidiaconus Vallis Ossellæ, procurator Prioris, & Capituli Pampilonensis pro me, & comprocuratore meo G. Lupo de Lombieri, subscribo.*

*Ego Petrus Marzagalli notarius domini Archiepiscopi supradicti, hoc scripsi mandato omnium prædictorum, die, & anno præfixis.*

*Procœmium constitutionum ejusdem Benedicti in tertio concilio.*

**A**Nno Domini MCCLXVI. calendas Septembris dominus Benedictus, Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus de Romana curia rediens, in civitate Gerundensi, ubi dominus Rex Aragonum erat personaliter constitutus, convocavit concilium provinciale, scribens omnibus suffraganeis suis propter hoc suas litteras sub hac forma. Benedictus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus, venerabili, & carissimo in Christo fratri A. per eandem Cæsaraugustano Episcopo salutem, & sinceram in Domino caritatem, Dei virtus, & Dei sapientia Dominus Jesus Christus, cujus ineffabili subiecta sunt omnia majestati, a foundationis initio splendore virtutum suam illustravit Ecclesiam, & sic insignem reddidit singularis privilegio potestatis, ut per ejus ministerium suum justitia consequatur effectum; & sedato bellorum turbine, mundo possit tranquillitas provenire. Hujus autem præminentiam dignitatis dum nos, qui regimini Tarraconensi ecclesiæ, licet immeriti, divina patientia præsidemus, reversi de Romana curia reverenter attendimus, reddimur corde solliciti, quod tempestatis horror, quo Tarraconensis ecclesia, & provincia conturbantur, & libertas ecclesiastica læditur & religio Christiana concutitur, per nostræ, ac vestræ, & aliorum Prælatorum provisionis

auxilium cælesti pietate propitia propulsetur. Hinc est, quod nos, ut eadem ecclesia, & provincia per fidelium salubre consilium, & auxilium fructuosum status debiti possint habere decorem, ecclesiarum Prælatos, & Capitula nostræ provinciæ apud Tarraconem pro celebrando ibidem concilio duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem vestram, & hortamur attente, præsentium vobis tenore præcipiendo mandantes, quatenus die sancti Luca Evangelistæ proxime ventura, quam pro dicto celebrando concilio assignavimus, Tarracone personaliter interesse, omni prorsus occasione postposita, procuretis: ut nos, qui absentes diutius ab ecclesia, & provincia nostra, vos desideramus videre plurimum, & ecclesia Tarraconensis mater vestra ex vestræ visitationis honore spirituale gaudium, & ex vestra industria percipiamus consilium profuturum. Ceterum volumus & mandamus, ut Abbatibus, & Prioribus monasteriorum vestræ diocesis, quod eodem termino Tarracone intersint pro dicto celebrando concilio, & Capitulo vestro, & quod mittant procuratores suos providos, & fideles, qui vice ipsorum utile nobis consilium largiantur, auctoritate nostra, & vestra præcipere studeatis. Datum Gerundæ, tertio nonas Septembris anno Domini MCCLXVI.

*Sub eadem forma scripsit P. Gerundensi, R. Vicensi, A. Barcinonensi, G. Ilerdensi, B. Oscensi, V. Calagurritano, F. Tyrasonensi, P. Pampilonensi, A. Valentino, B. Dertusensi, & A. Urgellensi Episcopis.*

*Item fuit scriptum per litteras, & sub alia forma fratri Guidoni de la Guespa Castellano Empostæ, & fratri P. de Queralto tenenti locum magistri domus militiæ Templi in Aragonia, & Catalonia.*

*Injrium ejusdem concilii.*

**A**Nno Domini MCCLXVI. duodecimo calend. Novembr. cum nos Benedictus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus essemus in civitate Tarraconensi personaliter constituti, præsentibus venerabilibus fratribus A. Cæsaraugustano, A. Valentino, A. Barcinonensi, P. Gerundensi, B. Dertusensi, G. Ilerdensi, F. Tyrasonensi, & R. \* Vicensi Episcopis, aliorum etiam suffraganeorum nostrorum, & Capitulum ecclesiarum cathedralium, & aliorum Prælatorum Tarraconensis provinciæ procuratoribus ac venerabilibus, & discretis viris fratre Guidone de la Guespa castellano Empostæ, & fratre P. de Queralto tenente locum magistri domus militiæ Templi in Aragonia, & Catalonia, præsentibus ad honorem sanctæ, & individuae Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sacrosanctum concilium celebrantes super tuitione, & conservatione ecclesiasticæ libertatis, & corrigendis clericorum excessibus, & moribus in melius reformandis; ac super salubri, & tranquillo statu totius provinciæ Tarraconensis, cum prædictis tractavimus diligenter, & de assensu prædictorum &c.

*Pro-*

\* Re.

*Proœmium constitutionum Bernardi Archiepiscopi in primo concilio.*

**A**Nno Domini MCCLXXIII. non. calend. Februar. cum nos Bernardus divina miseratione Tarraconensis Archiepiscopus essemus in civitate Tarraconensi personaliter constituti presentibus venerabilibus fratribus A. Barcinonensi, G. Ilerdensi, F. Tyraconensi, R. Vicensi, A. Dertufensi, Jacobo Olcensi Episcopis, & aliis suffraganeis nostris, S. V. Calagurritano, A. Pampilonensi, P. Cæsaraugustano, A. Valentino. P. Gerundensi, & P. Urgellensi absentibus & se per procuratores, & litteras excusantibus, & Capitulum ecclesiarum cathedralium, & aliorum Prælatorum Tarraconensium provinciæ procuratoribus ac venerabilibus, & discretis fratre A. de Castro novo magistro militiæ Templi in partibus Aragoniæ, & Catalonia, & fratre Berengario de Almenaria tenente locum magistri ultramarini sancti Joannis Hierosolymitani, & castellanæ Empostæ, similiter presentibus ad honorem individua sanctæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti sacrosanctum concilium celebrantes, de assensu omnium prædictorum laudamus, concedimus, approbamus, & per omnia confirmamus omnes constitutiones factas per prædecessores nostros ad utilitatem, libertatem, & defensionem ecclesiarum, clericorum religiosorum, monasteriorum, & rerum omnium prædictorum; sacroque approbante concilio statuimus, & infra:

*Ego Bernardus Dominicus notarius domini Archiepiscopi, hoc scripsi mandato omnium prædictorum, loco, die, & anno prænotatis.*

*Proœmium constit. ejusdem Bernardi in secundo concilio.*

**A**Nno Domini MCCLXXVII. quinto nonas Maii, cum nos Bernardus divina miseratione Tarraconensis Archiepiscopus, essemus in civitate Tarraconensi personaliter constituti, presentibus Capitulo nostro Tarraconensi, ac venerabilibus fratribus A. Barcinonensi, P. Gerundensi, G. Ilerdensi, R. Vicensi, F. Tyraconensi, Joanne Olcensi Episcopis ac Jacobo Petro de Botonago Valentino electo, aliis Episcopis suffraganeis nostris, scilicet A. Pampilonensi, P. Urgellensi, P. Cæsaraugustano, A. Dertufensi, & G. Calagurritano Episcopis absentibus, & se per procuratores, & litteras excusantibus & Capitulum ecclesiarum cathedralium, & aliorum prælatorum Tarraconensium provinciæ procuratoribus ac venerabilibus, & discretis fratre R. de Ripellis castellano Empostæ, fratre Dalmatio de Serone venerabili, & fratre G. de Abellars de Barberano præceptoribus, procuratoribus fratris Simonis de Turre generalis domorum militiæ Templi in Hispania Visitatoris, similiter presentibus ad honorem sanctæ individua Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti sacro-

sanctum concilium celebrantes, de assensu omnium prædictorum laudamus, concedimus, approbamus, & per omnia confirmamus omnes constitutiones factas per prædecessores nostros, & per nos ad utilitatem, libertatem, & defensionem ecclesiarum, clericorum, & religiosarum personarum, monasteriorum, & hominum, ac rerum omnium prædictorum: *Quia vero ex pluribus &c. & infra.*

*Proœmium constitutionum ejusdem Bernardi in tertio concilio.*

**A**Nno Domini MCCLXXXII. undecimo cal. April. Quoniam exempla præterita cavere nos admonent in futurum, idcirco nos Bernardus divina permissione Tarraconensis Archiepiscopus, assistentibus nobis venerabilibus fratribus A. Barcinonensi, R. Vicensi, P. Urgellensi, Jacobo Olcensi, Jac. Petro Valentino Garcia Tyraconensi, B. Gerundensi, Guillelmo Ilerdensi Episcopis, ac procuratoribus aliorum Episcoporum absentium; nec non & Capitulum cathedralium ecclesiarum, & collegatarum, & quamplurimis aliis presentibus sacrosancto Tarraconensi approbante concilio statuimus, & infra.

*Proœmium constitutionum Roderici Archiepiscopi in primo concilio.*

**A**Nno Domini MCCXCI. die Sabbati, quæ fuit idus Martii, nos Rodericus permissione divina sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus, in civitate Tarraconensi personaliter constituti, de mandato speciali litteris nobis factis, & auctoritate sanctissimi Patris, & domini, meritisque beati domini Nicolai divina providentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summi Pontificis, assistentibus nobis venerabilibus fratribus R. Vicensi, P. Urgellensi, A. Dertufensi, fratre Ben. Barcinonensi, Hugone Cæsaraugustano, fratre Adamario \* Olcensi, & Geraldo Ilerdensi Episcopis: absentibus Michaele Pampilonensi, Almoravio Calagurritano, & Calciatensi, P. Tyraconensi, R. Valentino, & Ben. Gerundensi se per procuratores, & per litteras excusantibus nec non & nobili, ac religioso viro fratre Berengario de Cardona domorum militiæ Templi in partibus Aragonum, & Catalonia magistro, & procuratore Magistri sancti Joannis Hierosolymitani, procuratoribus Capitulum ecclesiarum cathedralium, ac collegatarum, monasteriorum, aliorumque Prælatorum Tarraconensium provinciæ præsentialiter constitutis: presentibus etiam discretis, & religiosis viris Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Archidiaconis, & Decanis; nec non & pluribus aliis ecclesiarum Prælati præfate provinciæ, tam exemptis, quam non exemptis, ad hoc specialiter evocatis; ad honorem sanctæ, & individua Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, apud civitatem, & ecclesiam Tarraconensem sponsam nostram, cui, licet immeriti, divina clementia pastoralis officii debito præsidemus, sanctum provinciale

\* Adamaro, vel Ademar

cialē concilium celebrantes, præfato sacro concilio approbante, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, laudamus, concedimus, approbamus, & irrefragabiliter per omnia confirmamus constitutiones factas per prædecessores nostros ad utilitatem, libertatem, & defensionem ecclesiarum, clericorum, & religiosarum personarum, monasteriorum, hominum, rerum, ac bonorum omnium prædictorum: *Et quoniam pium esse &c.*

*Procœmium constitutionum ejusdem Roderici in tertio concilio.*

**A**Nno Domini MCCXCIV. die Mercurii, quæ fuit tertio idus Augusti, nos Rodericus permissione divina sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus, in civitate Ilerdensi personaliter constituti, assistentibus nobis venerabilibus fratribus Raimundo Vicensi, A. Dertufensi, fratre Ben. Barcinonensi, P. Tyraconensi, Hugone Casaraugustano, fratre Adamario Olcenti, Geraldo Ilerdensi, & Benedicto Gerundenſi Episcopis: nec non & Galcerando de Vegis Archidiacono ecclesiæ Urgellensis, ac gerenti vices Capituli ejusdem ecclesiæ sede vacante, & magistro Berengario Archidiacono ecclesiæ Valentiniæ, gerentique vices venerabilis fratris nostri R. Episcopi ejusdem ecclesiæ Valentiniæ, absentibus M. Pampilonensi, Almoravio Calagurritano, & Calciatensi se per procuratores, & litteratorie excusantibus procuratoribus Capitulorum ecclesiarum cathedralium, ac collegiarum, monasteriorum & aliorum Prælatorum Tarraconensis provinciæ præsentialiter constitutis: præsentibus etiam discretis, ac religiosis viris Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Archidiaconis, & Decanis; nec non & pluribus aliis ecclesiarum Prælatis præfate provinciæ, ad honorem sanctæ, & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, apud civitatem Ilerdensem prædictam sanctum provinciale concilium celebrantes, præfato sacro concilio approbante constitutiones edidimus, quarum series sic se habet, &c.

S U B S C R I P T I O N E S.

\* \* \*

Ego Martinus Petrus procurator domini Calagurritani, & Calciatensis Episcopi, subscribo.

Ego M. de Selava Thesaurarius Pampilonensis procurator R. domini Pampilonensis Episcopi, subscribo.

Ego Galcerandus de Vegis Archidiaconus Urgellensis procurator Episcopi Urgellensis, subscribo.

*Procœmium constitutionum Joannis Patriarchæ Alexandrini in primo concilio.*

**A**Nno Domini MCCCXXIX. quarto calend. Martii, Joannes Patriarcha Alexandrinus, ac administrator ecclesiæ Tarraconensis in spiritualibus, & temporalibus a sede Apostolica deputatus, in primo concilio Tarraconensi. Ad officium pertinet præsentis,

constitutiones a se, vel (a) prædecessoribus suis editas, quas obesse conspicit potius, quam professe, refecare simpliciter, vel in melius reformare; & subditos suos certos reddere, quas habeant observare. Recognitis igitur diligenter constitutionibus prædecessorum nostrorum Archiepiscoporum sanctæ ecclesiæ Tarraconensis editis in diversis provincialibus conciliis per eos diversis temporibus celebratis; ac quibusdam ex ipsis tamquam periculosis, quibusdam vero tamquam superfluis refecatis, illas, quas utiles seu necessarias invenimus, simul cum quibusdam, quas de novo edidimus, sacro concilio approbante in præsens volumen providimus redigendas: decernentes easdem, & non alias haberi pro constitutionibus conciliorum provincialium provinciæ Tarraconensis ac mandantes easdem inviolabiliter observari.

*Conclusio ejusdem concilii.*

**P**ræsentes autem constitutiones a prædecessoribus nostris bonæ memoriæ editæ, ut superius continentur, in præsens volumen redactæ fuerunt, & illæ, quas nos de novo edidimus, publicatæ sacro concilio approbante, in Capitulo ecclesiæ Tarraconensis præsentibus & assistentibus venerabilibus fratribus nostris Raimundo Valentino, Berengario Dertufensi (Arnaldo Urgellensi) Arnaldo Ilerdensi, & Galcerando Vicensi Episcopis, suffraganeis nostris & venerabilibus ac religiosis fratre Sanctio de Aragonia gerente vices Magistri Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani in castellania Empostæ, fratre Pontio Populeti, fratre Joanne Vallis dignæ, & [Galcerando Vallis dignæ &] Geraldo de Bellopodio, & fratre Raimundo sancti Felicis Guixellensis Abbatibus ac aliorum suffraganeorum nostrorum, videlicet Pontii Barcinonensis, & Gastonis Gerundenſis Episcoporum, nec non ecclesiarum cathedralium, & collegiarum (ecclesiarum) provinciæ Tarraconensis procuratoribus, & quamplurimis aliis: die Lunæ intitulata quarto calend. Martii, anno Domini MCCCXXIX. præsentibus testibus Bernardo de Ulzinellis legum doctore, Raimundo Januarii præceptore Valentiniæ, Guillelmo de Oculo Molendinorum, & Laurentio Martini Canonico Ilerdensi, Francisco de Oliveriis de Castilione, & Petro Marza de Gandesia ecclesiarum Rectoribus Dertufensium, & Berengario Ferrarii de Arcubus Tarraconensis diocesis: *Ut Missæ &c.*

S U B S C R I P T I O N E S.

Nos Joannes Patriarcha Alexandrinus, & administrator ecclesiæ Tarraconensis subscribimus, & sigillum nostrum appendimus.

Ego Raimundus Valentiniæ Episcopus subscribo.  
Ego Berengarius Dertufensis Episcopus subscribo.

Ego Gasto Gerundenſis Episcopus subscribo.  
Ego Arnaldus Urgellensis Episcopus subscribo.  
Ego Arnaldus Ilerdensis Episcopus subscribo.  
Signum Raimundi Ferrarii notarii publici, & ju-

\* Ademaria, vel Ademario  
\* Vego

\* Ben.

\* præsentis volumine

\* Galbarde

\* Bene.  
\* procuratore, vel forte præcentore  
\* Canonicis

\* apponi

*Et jurati reverendi in Christo patris, Et domini Raimundi, divina providentia Valentini Episcopi; qui predictis correctioni, additioni, examinationi, Et publicationi constitutionum predictarum, tam antiquarum, quam novarum presens fui, Et de mandato reverendissimi domini Patriarchae predicti subscripsi die, Et anno praefixis.*

*Signum mei Petri Tost reverendissimi patris, Et D. D. Patriarchae, Et administratoris praefati notarii publici, Et jurati; qui correctioni, additioni, examinationi, Et publicationi, ac subscriptionibus predictarum provincialium constitutionum in praesenti volumine contentarum, redactarum, ac omnibus Et singulis supradictis, una cum dictis testibus, ut praedicitur, praesens fui; Et de mandato ipsius domini Patriarchae, Et sacri concilii ipsas constitutiones, quae in sexdecim chartis hujus voluminis continentur ex utraque parte scriptis, quarum qualibet est solito signo meo signata sub hac forma publica, propria manu scripsi, cum litteris tamen rasis, Et emendatis &c.*

*In fine constitutionum Sancti in quarto concilio Tarraconensi.*

**Q**UAE quidem constitutiones per ipsum dominum Archiepiscopum Tarraconensem praenitibus & assistentibus sibi venerabilibus fratribus suis Hug. Urgellensi, & Vitali Valentino Episcopis, ac vener. Berengarii Gerundensis, Michaelis Barcinonensis, Stephani Ilerdensis, ac R. Vicensis Episcoporum, suffraganeorum dictae ecclesiae Tarraconensis absentium, & Capitulum cathedralium procurator ac venerabilium & religiosorum fratrum A. Populeti, fratris G. Sanctarum Crucum, fratris R. sancti Joannis de Abbatissis, fratris Francisci Aggerens. fr. Petri de Scorpio monasteriorum Abbatum, nec non Ademarii Prioris mon. S. Sebastiani, Romae praepositi Minorissae, Pontii S. Mariae de muro praepositi absentium procurat. aliisque Praelatis, & procurat. collegatarum ecclesiarum provinciae, editae extiterunt sacro concilio approbante ac lectae etiam, & publicatae sollempniter. Quae sunt acta in Cap. dictae ecclesiae Tarraconensis vigesima die mensis Martii, anno a nativitate Domini MCCCLVII. praesent. test. vener. viro D. Arnaldo de Castelleto decretorum doctore, Andrea de Ferio capellano commensali in dicta ecclesia Tarraconensi, Arnaldo Tarrage portero dicti domini Archiepiscopi, Arnaldo de Villabetzi dicec. Urgellens. & pluribus aliis ad haec vocatis, & rogatis.

*Prooemium secundi concilii Tarraconensis Petri secundi idibus Februarii anno MCCCLXVII.*

**A**D muneris metropolitani nobis desuper injuncti officium, disponente Domino licet immeriti, evocati, circa curam ecclesiarum,  
Tom. III.

monasteriorum, ac piorum locorum solertia redimur indefessa solliciti, ut juxta debitum ejusdem pastoralis officii ipsorum occurramus dispendiis; & divina cooperante clementia, animarum profectibus salubriter intendamus. Circa igitur sanctorum Patrum, ac sacra praeccepta Apostolica specialiter nobis facta de praesenti concilio celebrando, devote, ac humiliter exequentes, ad laudem divini numinis, cleri, populi que profectum, constitutiones, ac ordinationes subscriptas nos P. miseratione divina sanctae Tarraconensis ecclesiae Archiepiscopus sacro approbante concilio ordinamus in primis: *Ad divinum &c.*

*Prologus constit. Enneci in primo concilio Tarraconensi anno MCCCXCI. non. April.*

**A** Nimarum nobis ab alto commissarum regimini, divina favente clementia, licet immeriti, praesidentes, curis sollicitamur continuis, vacamus instantius, & studium sollicitudinis impertimur, ut tranquillo statui subditorum occurrere, & eorum animas luci Domino facere valeamus, ad correctionem morum, proficuumque fidelium, & salutem, in hoc sacro concilio, quod praesentialiter celebramus: nos Ennecus miseratione divina sanctae Tarraconensis ecclesiae Archiepiscopus, ad futuram rei memoriam infra scriptas constitutiones edidimus salubria continentes, fructus uberes, Deo propitio, in domo Domini allaturas; quas praedecessorum nostrorum constitutionibus adjungi praecipimus, & ipso approbante concilio, a cunctis nostrae provinciae inviolabiliter observari, quarum tenores tales describuntur: *Redemptionis, &c.*

*In fine tertii concilii Tarraconensis ejusdem Enneci.*

**L**ECTAE, & publicatae fuerunt dictae constitutiones in sacro provinciali concilio celebrato in castro archiepiscopali civitatis Tarracon. per reverendiss. in Christo patrem, & D. D. Ennecum miseratione divina Archiepiscopum sanctae ecclesiae Tarracon. praesente toto sacro concilio, & praesentibus pro testibus venerabilibus viris Ludovico de Valltera legum doctore, Vicario in spiritualibus, & temporalibus generali, ac Officiali dicti domini Archiepiscopi, Arnaldo de Mansionem Licentiatum, Guillelmo Antolini Bacallario in decretis, Canonicis Tarracon. fratre Joanne Alanya monacho Sanctarum Crucum, Petro Ferrarii presbytero dicec. Urgellens. Francisco Banastull cive Tarrac. & Eximino Daiturni scutifero dicti domini Archiepiscopi, die Lunae in tertius, initulata decima quinta mensis Martii, anno a nativitate Domini MCCCXVI. & me Jacobo Roca clerico Valentinae dicecesis ejusdem domini Archiepiscopi Secretario, & not. publico, ac scriba concilii memorati.

*In fine concilii primi Tarraconensis Petri tertii Archiepiscopi.*

**L**ECTAE, & publicatae fuerunt dictae constitutiones in sacro provinciali concilio celebrato  
S s s

brato in sede Tarrac. per Reverendissimum in Christo patrem, & D. D. Petrum miseratione divina sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopum præsentem toto sacro concilio, die Mercurii vigesima prima mensis Martii, anno a nat. Domini MCCCC.... per me P. Sabaterij not. & Secretarium dicti Reverendissimi domini Archiepiscopi. Testes ven. Berengarius de Castellgales, Antonius Artau porterus.

*Procemium constitutionum Dalmatii Archiepiscopi.*

**N**OS Dalmatius miseratione divina sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus considerans, quod ineffabilis divinæ potentæ cellitudo, cujus viæ sunt investigabiles, cujusque sapientiæ magnitudinem humani non capiunt intellectus, ad regimen sanctæ Tarraconensis ecclesiæ suæ miserationis arbitrio nos erexit, tanto artius ad susceptæ sollicitudinis executionem nos astringens, quanto nos altius supra modum de suæ gratiæ largitate discretis gradibus sublimavit, in corde nostro continua pulsamus instantia, ut dictæ sollicitudinis debitum, ad quod nos obligat necessitas, prout nobis ex alto conceditur, exsolvamur; & ad bonum statum, utilem, & salubrem dictæ Tarraconensis ecclesiæ sponsæ nostræ, aliarumque ecclesiarum nostræ provinciæ, divina favente clementia, inter alias sollicitudinum curas, quibus animus noster fluctuantis pelagi more continue fatigatur, efficaciter intendimus; cleri, & populi dispendiis, & profectibus, Altissimo cooperante, salubriter occurrentes. Hac itaque consideratione & juxta Patrum statuta sanctorum, & etiam pro necessitate urgente, statum ecclesiæ, & ejus libertatem, atque clerum nostræ provinciæ multifarie concernente, provinciale concilium duximus in dicta nostra ecclesia celebrandum: in quo, septiformi gratia invocata, statu discussio provinciæ, & ad Dei laudem, prout negotiorum qualitas exigit, & Dominus duxit inspirandum, propenso judicio reformato, nonnullas, sacri approbatione concilii, constitutiones edidimus: quas volumus aliis constitutionibus provincialibus \* prædecessorum nostrorum adjungi \* quarum tenores sequuntur.

\* aliarum  
constitutionum provin-  
cialium  
\* adjungi  
volumini

*In fine concilii Tarraconensis ejusdem Dalmatii.*

**F**uerunt publicatæ constitutiones prædictæ in sacro concilio die Sabbati non. Decembris anno a nat. Domini MCCCCXXIV. præsentem Petro Ollerii Camerario, & Guillelmo Antolini Canonicis ecclesiæ Tarraconens. Licet primæ, & octavæ constitutionibus nonnulli contradixerint; tamen eorum contradictiones, nec appellationes non fuerunt admittæ per dominum Archiepiscopum, nec per concilium; immo appellantis fuerunt dati apostoli negativi.

*Procemium constitutionum domini Petri de Luna Cardinalis sedis Apostolicæ Legati in concilio provinciali anno Domini MCCCCII.*

**P**etrus miseratione divina S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, venerabili in Christo patri Archiepiscopo Tarraconensi, & dilecto \* in Christo ejus Vicario in spiritualibus generali, ac Officiali Tarraconensi salutem in Domino. Cum universo Hispaniarum clero, ac populo, quorum ex injuncto nobis legationis officio curam gerimus, in eo maxime obligemur, ut nostræ sollicitudinis studio mores eorum dirigantur salubriter, & actus devii \* in melius reformentur; idcirco ad hoc nostræ considerationis intuitum convertentes, infrascriptas \* constitutiones, quas & Dei servitio congruas, & proficuas credimus animabus, in regnis, & terris (ditioni) serenissimorum principum Regum Aragoniæ, & Navarræ subjectis, in illis videlicet, ad quæ, & ad quas legationis nostræ auctoritas se extendit, duximus promulgandas: quas die datæ præsentium in ecclesia cathedrali Gerundeni in præsentia nonnullorum Episcoporum, & aliarum notabilium personarum fecimus publicari, prout earum similes alias promulgavimus, & publicavimus in Castella. Et quamvis omnes prædictæ constitutiones pro subditorum salute essent proculdubio statim executioni mandandæ, ex certis (tamen) causis rationabilibus animum nostrum ad hoc moventibus, ipsarum effectum usque ad concilium provinciale per vos Patrem \* Archiepiscopum cum suffraganeis vestris \* primo celebrandum & per duos menses post ipsius celebrationem immediate sequentes duximus suspendendum: una de ipsis dumtaxat excepta (cujus tenor inferius describitur) quæ est contra clericos publice concubinarios promulgata: super quorum correctione, cum jura communia, & aliorum Legatorum Apostolicæ sedis in eisdem partibus deputatorum constitutiones editæ jam procedant, & ex eis effectus correctionis debitus non fuerit hætenus subsecutus, dignum reputamus, ut præfata nostra constitutio, per quam etiam aliarum, ut præmittitur, antea \* editarum rigori in quibusdam detrahitur, statim contra obstinatos in prælibato crimine debitæ executioni manderetur, ne occasione dilationis cujusque videantur ulterius in jam damnatæ hujus \* turpitudinis sordibus celari \*: idcirco ipsam intra duos menses post receptionem præsentium immediate sequentes, per vos in synodo, quam propterea congregari jubemus, vel saltem in (dicta) ecclesia cathedrali Tarraconensi publicari volumus, & mandamus; & deinde post alios duos menses a tempore publicationis hujusmodi faciendæ numerandos, vos, & omnes personas ecclesiasticas, ac sæculares, & religiosas civitatis, & diocesis Tarraconensis, prout de vobis, & ipsis in eadem constitutione tenetur \*, auctoritate, qua

\* dilectis

\* de bono

\* quasdam

\* Tarracon.  
\* suis

\* jam

\* hujusmodi  
\* tolerari

\* cavetur

qua fungimur, ligare decernimus per praesentes.  
 \* *dictarum* Tenor vero earundem \* nostrarum constitu-  
 \* *in vinea* tionum sequitur sub hac forma, *Injuncti* \* :  
 & quae sequuntur, &c. Datum Gerundae, o-  
 ctavo cal. Novembr. pontificatus domini no-  
 stri Clementis Papae VII. anno duodecimo.

*In fine constitutionum Petri de Cardona  
 Archiepiscopi.*

**L**ECTAE, & publicatae fuerunt dictae provin-  
 ciales constitutiones in sacro provinciali  
 concilio in Capitulo sedis Barcinonensis cele-  
 brato per illustrem, & reverendissimum domi-  
 num Petrum de Cardona divina providentia  
 sanctae Tarraconensis Ecclesiae Archiepiscopum  
 per me Antonium de Ferrara notarium, &  
 Secretarium dicti reverendissimi domini Archie-  
 piscopi, & praefati sacri concilii scribam, die  
 trigesima mensis Julii, anno a nat. Domini  
 MDXVII. praesentibus dicto provinciali con-  
 cilio, & honor. Michaeli Puigsec not. Arnal-  
 do de Ulmo clerico, & Ferrario Joannis por-  
 tario, ejusdem domini Archiepiscopi familia-  
 ribus pro testibus in his vocatis specialiter, &  
 assumptis.

*In fine constitutionum Hieronymi Cardinalis.*

Præcipitur Abbatibus, Prioribus, Parochis, & Vica-  
 riiis perpetuis, ceterisque, quibus cura animarum  
 credita est, ut cum per commissarios sacri provin-  
 cialis concilii moniti fuerint, singuli unum volu-  
 men Constitutionum emant, juxta æstimationem  
 pretii a sacro concilio constituti: si secus fecerint,  
 dupli pretii, & excommunicationis poena multatum  
 iri; idque cum emerint, servari ab illis in ecclesiis,  
 vel earum sacriis oportere: ejusque commutatio  
 cum ulla alia re fieri prohibetur.

**S**ACRAS hæcenus editas provinciales constitu-  
 tiones, incuria quasi incognitas, & semi-  
 sepultas, quas in unum collectas, mendisque  
 mundas, ac typis fidelibus magno labore, &  
 expensis excudendas sacrum provinciale concilium  
 curavit, ecclesiis, ecclesiasticisque perso-  
 nis, eisque maxime, quibus animarum cura  
 imminet, ad vitam, moresque populi insti-  
 tuendum apprime necessarias, ut ab omnibus  
 intelligantur, & in posterum observentur, sta-  
 tuit, mandavit, & decrevit, ut omnes, & sin-  
 guli Abbates, Priores, Parochi, Vicarii que  
 perpetui, ceterique alii, quibus cura imminet  
 animarum, quoties monitio commissariorum  
 per dictum sacrum provinciale concilium ad id  
 deputandorum eis innotuerit, unusquisque eo-  
 rum volumen accipiat, taxatumque pretium  
 persolvat: poena excommunicationis, ac dupli  
 taxati pretii contumacibus imminente, irre-  
 missibiliter ab eis exigenda: nec non ut eun-  
 dem in propriis ecclesiis, earumque sacriis,  
 aut penes se, id in alios usus, seu aliarum per-  
 sonarum non commutando; ut ecclesiae orna-  
 mentum perpetuo habeant, & teneant, man-  
 davit, & decrevit sub poena arbitrio diocesa-  
 norum, quorum conscientiam onerari voluit,  
 cum in visitatione extiterint, vel alias de eo-

rum constiterit contrafactione, seu negligentia,  
 puniendos.

SUBSCRIPTIONES.

*Signum domini Thomae Costa Abbatis Sancti  
 Saturnini de Tivernolis diocesis Urgellens.  
 Canonici, & Hospitalarii Dertusensis, Vi-  
 carii generalis illustrissimi, & reverendis-  
 simi Tarraconensis Archiepiscopi præsi-  
 dentis in provinciali concilio, qui hæc fir-  
 mavit, & laudavit.*

*Signum Galcerandi Gravelosa Canonici ec-  
 clesiae Tarraconensis, procuratoris reveren-  
 dissimi Barcinonensis Episcopi.*

*Signum Augustini Frexa Commensalis ecclē-  
 siae Tarraconensis, procuratoris reverendis-  
 simi Ilerdensis Episcopi.*

*Signum Bartholomæi Jaques Canonici Tarra-  
 conensis procuratoris reverendissimi Vicensis  
 Episcopi.*

*Signum Bartholomæi Forama Canonici Tar-  
 raconensis procuratoris reverendissimi Ur-  
 gellensis Episcopi.*

*Signum Benedicti Barnabæ Munyoz Canonici  
 ecclesiae Tarraconensis syndici reveren-  
 di Capituli Tarraconensis.*

*Signum Francisci Solsona Canonici ecclesiae  
 Barcinonensis, syndici reverendi Capituli  
 Barcinonensis.*

*Signum Michaelis Maull Canonici Ilerdensis,  
 syndici reverendi Capituli Ilerdensis.*

*Signum Petri Piquer Canonici Urgellensis,  
 syndici reverendi Capituli Urgellensis.*

*Signum Jacobi Cervero Canonici ecclesiae Der-  
 tusensis, & Archidiaconi de Corbera, syn-  
 dici reverendi Capituli Dertusensis.*

*Signum Joannis Soler Canonici Vicensis, &  
 syndici reverendi Capituli Vicensis.*

*Signum fratris Joannis Roiz monachi San-  
 ctarum Crucum, procuratoris reverendi  
 Abbatis monasterii Sanctarum Crucum.*

*Signum fratris Gabrielis comes monachi mona-  
 sterii Populeti, procuratoris reverendi Ab-  
 batis ejusdem monasterii.*

*Signum domini Francisci Zenedo monasterii  
 Scale Dei, procuratoris reverendi Prioris  
 ejusdem monasterii, ordinis Cartusienensis.*

*Ego Honofrius Montoliu notarius, & sacri  
 provincialis concilii scriba, mandato præ-  
 fatorum dominorum Praesidentis, & alio-  
 rum, scripsit, & de praedictis fidem facio;  
 die, & anno praefixis.*

*Proæmium constitutionum Ferdinandi Archie-  
 piscopi in concilio Barcinonensi.*

Receptio œcumenici generalis Concilii Tridentini in  
 provincia Tarraconensi.

**I**N nomine Domini amen. Per hoc praesens  
 publicum instrumentum cunctis temporibus  
 perpetuo valiturum pateat universis, &  
 sit notum, quod anno a nativitate Domini  
 millesimo quingentesimo sexagesimo quarto,  
 die vero Martis vicesima quarta mensis Octo-  
 bris intitulata, congregato sacro provinciali  
 concilio Tarraconensi, in capella sacratissimi

corporis domini nostri Jesu Christi in clauſtro eccleſiæ Tarraconenſis conſtructa, loco ad hæc per illuſtriſſimum, & reverendiſſimum in Chriſto patrem, & D. D. Ferdinandum de Loazes miſeratione diuina ſanctæ Tarraconenſis eccleſiæ Archiepiſcopum, assignato, & deputato; exiſtentibusque ibidem ſimul cum prælibato illuſtriſſimo, & reverendiſſimo domino Archiepiſcopo, reverendiſſimis Episcopis, & Abbatibus, Prioribus, aliisque Prælatiſ, ſyndicis, & procuratoribus inſcripſtis, provincialiter, ut præfertur, congregatiſ, conciliumque provinciale pro inſcripſtis, & aliis negotiis facientiſ, & celebrantiſ in mei Damiani Gili notarii publici Tarraconenſis, ac dicti ſacri concilii provincialiſ ſcribæ, teſtiumque inſcripſtorum ad hæc ſpecialiter vocatorum, rogatorum, & aſſumptorum præſentia; præfatuſ illuſtriſſimus, ac reverendiſſimus dominuſ Archiepiſcopuſ, ac reverendiſſimi domini Episcopuſ, & Abbateſ, Prioreſ, ſyndici, & procuratoreſ inſcripſti, inſequendo diſpoſitionem decreti capite ſecundo reformationiſ ſeſſioniſ viceſimæ quintæ ſacri œcumenici generaliſ concilii Tridentini incipient: *Cogit temporum calamitas*, &c. omneſ unanimiſ, & conformiſ, & nemine diſcrepante, nomine eorum proprio, ac principalium ſuorum inſcripſtorum reſpectiue, & totiuſ Tarraconenſiſ provinciæ, prout inferiuſ latiuſ, & pleniuſ continetur, fecerunt palam, & publice receptionem de omnibuſ, & ſinguliſ a præfata ſanctæ Synodo Tridentina definitiſ, & ſtatutiſ; ac etiam omneſ ſimul, & unuſquiſque eorum veram obedientiam S. D. N. Papæ Pio quarto, ejuſque ſucceſſoribuſ, & ejuſ ſanctæ ſedi Apoſtolicæ ſponſponderunt, & profeſſi fuerunt, ac hæreſeſ omneſ deteſtati fuerunt, & anathematizarunt, prout in quadam ſcriptura per ipſoſ mihi dicto notario, & ſcribæ tradita, latiuſ, & pleniuſ continetur: mandaruntque, petierunt, requiſiuerunt, per me dictum notarium, & ſcribam de hiſ publicum confici inſtrumentum, & in proceſſu dicti ſacri provincialiſ concilii inferi, prout in dicta ſcriptura latiuſ deducitur, quæ eſt tenoriſ hujuſmodi:

*Deo optimo maximo gratias agimus, qui temporibus noſtriſ Eccleſiam ſuam ſanctam tot procellis, ac fluctibus agitatum ita defendit, ac conſeruauiſ, ut per decreta ſacri œcumenici Tridentini Concilii auctoritate ſummi Romani Pontificiſ ſel. rec. Pauli III. in Spiritu Sancto legitime congregati, atque ejuſdem, & piæ memoriæ Julii Papæ III. nec non S. D. N. Pii quarti conſenſu, auxilio, & promotione, ſub protectione glorioſiſſimæ memoriæ Caroli quinti Imperatoriſ, & catholici Regiſ noſtri Philippi continuati, celebrati, ac concluſi, & ab eodem beatiffimo Pio confirmati, hæreſeſ univerſaſ, quæ non ſine totiuſ Chriſtiani orbis perturbatione, in pluribuſ partibuſ vigerunt, damnauerit, & improbauerit, ac veram fidem catholicam Chriſtianiſ omnibuſ ita aſſeruerit, & aper-*

*tiſſime declarauerit, ut eiſdem ſacri concilii ſaluberrimiſ ſanctiõnibuſ univerſaliſ Eccleſiæ, quam diuina Majeſtas ſponſam immaculatam, & ſine ruga ſibi aſſumpſit, in ſuo ſplendore perſeueret: mores vero corruptoſ ita ſeueritate diſciplinæ ad veterem Patrum inſtitutionem, quantum hæc tempora ferre poſſunt, correxerit, ac reduxerit; ut nihil aliud, quam ut diuino auxilio iuvante, eiſdem veſtigiis in hæreſe poſſimus, deſiderare queamus. Quapropter*

*Nos Ferdinanduſ de Loazes miſeratione diuina ſanctæ Tarraconenſiſ eccleſiæ Archiepiſcopuſ.*

*Ariá Gallego Gerundenſiſ.*

*Antoniuſ Auguſtinuſ Ilerdenſiſ.*

*Guillelmuſ Cazador Barcinonenſiſ.*

*Martinuſ de Corduba Dertuſenſiſ.*

*Petruſ de Caſtelleruſ Urgellenſiſ*

*per eandem miſerationem Episcopuſ.*

*Joanneſ de Tormo Abbaſ monaſterii ſancti*

*Petri Biſuldini, ordinis ſancti Benedicti, Gerundenſiſ diœceſiſ.*

*Petruſ Frigola Abbaſ monaſterii ſancti Be-*

*nediti de Bagiſ, ordinis ſancti Benedicti, Vicenſiſ diœceſiſ.*

*Michael Serrano Abbaſ monaſterii ſancti Vin-*

*centii de Cardona, Canonicorum regularium ordinis ſancti Auguſtini, Urgellenſiſ diœceſiſ.*

*Hieronymuſ Contioc Abbaſ monaſterii San-*

*ctarum Crucum, ordinis Ciſtercienciſiſ, Tarraconenſiſ diœceſiſ.*

*Ludovicuſ de Cervilione Abbaſ monaſterii*

*ſancti Cucuphatiſ, ordinis ſancti Benedicti, Barcinonenſiſ diœceſiſ.*

*Cofmaſ Damianuſ Ortolla Abbaſ monaſterii*

*beatæ Mariæ de Villabertrando, ordinis S. Auguſtini, Gerundenſiſ diœceſiſ.*

*Thomas Coſta Abbaſ, ſeu perpetuuſ Commen-*

*datariuſ monaſterii ſancti Saturnini de Tabernoliſ, ordinis S. Benedicti, Urgellenſiſ diœceſiſ.*

*Michael de Agullo Abbaſ, ſeu perpetuuſ Com-*

*mendatariuſ monaſterii prope Bagamum, ordinis S. Benedicti, Urgellenſiſ diœceſiſ.*

*Pauluſ Pla Abbaſ, ſeu perpetuuſ Commen-*

*datariuſ monaſterii ſancti Petri de Gallicantu, ordinis S. Benedicti, Gerundenſiſ diœceſiſ.*

*Michael Ferran Prior monaſterii Scæ Dei,*

*ordinis Cartuſienſiſ, Tarraconenſiſ diœceſiſ.*

*Jacobuſ Agramunt Prior monaſterii ſancti*

*Jacobi de Calaf, ordinis S. Auguſtini Canonicorum regularium, Vicenſiſ diœceſiſ.*

*Geraldus Vilana Prior monaſterii beatæ Ma-*

*riæ de Campo.*

*Joanneſ de Funeſ Prior monaſterii S. Vin-*

*centii de Roda.*

*Raphael Joanneſ Gili Canonicuſ, & ſyndicuſ*

*reverendiſ Capituli eccleſiæ Tarraconenſiſ.*

*Petruſ Pauluſ Zaragoça Canonicuſ, & ſyn-*

*dicuſ reverendiſ Capituli eccleſiæ Barcinonenſiſ.*



Franciscus Castelbel Canonicus, & Syndicus reverendi Capituli ecclesie Ilerdensis.

Jacobus Cervero Archidiaconus de Corbera, Canonicus, & Syndicus reverendi Capituli ecclesie Dertusensis.

Petrus Traber Canonicus, & Syndicus reverendi Capituli ecclesie Gerundensis.

Petrus Spi Archidiaconus major, Canonicus, & Syndicus reverendi Capituli ecclesie Urgellensis.

Raphael Domenec Canonicus, & Syndicus reverendi Capituli ecclesie Vicensis.

Michael de Homs Abbas, seu perpetuus Commendatarius monasterii de Arles, Canonicus, & Sacrista, ac Syndicus, & eo nomine reverendi Capituli ecclesie Elnensis.

Martinus de Marquina monachus, & procurator reverendi Petri Boques Abbatis monasterii beatæ Mariæ Populeti, Tarracon. diocesis. ordinis Cisterciensis.

Franciscus de Tordelaguna monachus, & procurator reverendi Benedicti de Tocco Abbatis monasterii beatæ Mariæ de Monte serrato, ordinis S. Benedicti, Vicensis diocesis.

Laurentius Isalguer Canonicus, & procurator reverendi Michaelis Agullana Abbatis, seu perpetui Commendatarii monasterii S. Joannis de Abbatissis, Canonicorum regularium ordinis S. Augustini, Vicens. diocesis.

Jacobus Moragues Canonicus monasterii sanctæ Annæ Barcinonensis procurator reverendi domini Caroli de Cardona Abbatis, seu perpetui Commendatarii monasterii beatæ Mariæ de Stagno, & administratoris dicti monasterii sanctæ Annæ Barcinonensis.

Gispertus de Malars monachus, & camerarius monasterii beatæ Mariæ Rivipulli, procurator reverendi Bernardi Capellet Abbatis, seu perpetui Commendatarii monasterii beatæ Mariæ de Sarrateix, ordinis sancti Benedicti, diocesis.

Joannes Guzman monachus Syndicus, & procurator reverendi conventus monasterii S. Victoriani, ordinis S. Ilerdens. diocesis. Abbate carentis.

Raimundus Sopena Syndicus œconomus, & procurator reverendi conventus monasterii de la O, ordinis sancti Benedicti, Ilerdensis diocesis Abbate carentis.

In capella sacratissimi corporis domini nostri Jesu Christi, in claustris dictæ nostræ metropolitanæ ecclesie Tarraconensis constructa, loco ad hæc specialiter per nos dictum Archiepiscopum deputato, provincialiter congregati, conciliumque provinciale facientes, ac celebrantes, insequentes dispositionem decreti cap. ii. reform. sess. xxv. dicti concilii Tridentini incip. Cogit temporum calamitas, &c. omnes unanimis, & conformes, nemine discrepante, ut veri orthodoxi, ac sanctæ sedis Apostolicæ filii obedientissimi, tam nomi-

nibus nostris propriis, & principalium nostrorum respectivè, & cujuslibet nostrum, quam eorum, ac omnium, & singulorum subditorum nostrorum, & dictorum principalium respectivè, ac totius nostræ Tarraconensis provincie, omnia, & singula, quæ a præfata sancta Synodo Tridentina definita, & statuta sunt, palam, & publice omni meliori modo, & forma, quibus melius possumus, & debemus, recipimus. Nec non veram obedientiam S. D. N. D. Pio quarto summo Romano Pontifice vero, & indubitato Christi Vicario, beatique Petri Apostolorum principis successori, ejusque successoribus canonice intrantibus sanctæque ejus Apostolicæ sedi spondemus, & profiteamur; simulque hæc reses omnes a sacris canonibus, & generalibus conciliis, præsertimque ab eadem sancta Synodo Tridentina damnatas, publice, & palam detestamur, & anathematizamus; & ut de hac nostra receptione, veraque obedientia, sponsione, simulque detestatione, & anathematizatione, aliisque prædictis omnibus constet, requirimus, & mandamus, per vos Damianum Gili notarium, & dicti nostri sacri concilii provincialis notarium, & scribam, publicum instrumentum fieri, confici, & in processu dicti nostri sacri concilii provincialis scribi, & inseri; ac nobis, & omnibus illud petentibus, & habere volentibus tradi.

Quæ fuerunt acta in dicta capella sacratissimi corporis D. N. Jesu Christi, claustris dictæ ecclesie Tarraconensis die, & anno prædictis, præsentè, & interveniente meo Damiano Gili notario publico, & scriba dicti sacri provincialis concilii præ, & infra scripto, & præsentibus etiam reverendis dominis Raphaelè de Homs Archidiacono majori, Joanne Damiano Miret succentore secundo, Raphaelè Lorens, Antonio Joanne Delgado, Antonio Daroca Canonicis dictæ ecclesie Tarraconensis, Bernardo de Sanct Clement Rectore ecclesie villæ de Silva, Augustino Frexa Jurium doctore commensale, Officiali, & Vicario generali dicti Reverendissimi domini Archiepiscopi, Jacobo Giner etiam commensale, Jacobo Ros, Joanne Figols in sacra pagina magistris, Joanne Rosel presbyteris, beneficiatis dictæ ecclesie Tarraconensis, domino Onofrio de Scriva in civitate Valentia, & Ludovico Jover domicellis in præfata civitate Tarraconensi domiciliatis, Michaelè Joanne Zaporta, Ludovico Pons de Icart, Francisco Olorio, & Michaelè Angelo Comalda Jurium doctoribus civibus Tarraconensibus pro testibus ad hæc vocatis specialiter, & assumptis; & pluribus aliis in multitudine copiosa.

Edictum contra non residentes in parochialibus ecclesiis, aliisque beneficiis curatis, editum Barcinone XXV. Novembr. anno MDLXV.

**N**OS Ferdinandus de Loazes utriusque juris doctor, divina clementia Archiepiscopo-

scopus sanctæ ecclesiæ Tarraconensis attendentes, & considerantes, in decretis sacri Concilii Tridentini; ac præsertim in I. & II. cap. sessio VI. & in I. sess. XXIII. fuisse statutum decretum, injunctum, atque mandatum omnibus & singulis Rectoribus, Vicariis perpetuis, & aliis quibusvis beneficia curata obtinentibus, ut continuam residentiam faciant, ac personaliter resideant in suis rectoriis, & beneficiis curatis, atque in perpetuis vicariis, sub pœnis in dictis decretis contentis, & expressis: cumque multæ, & variæ personæ sint in hac nostra provincia, prædictas rectorias, & beneficia curata, atque perpetuas vicarias obtinentes, qui parum timentes Deum, & pœnas in dictis decretis statutas, & impositas, in grave damnum suarum conscientiarum, & in condemnationem suarum animarum non observarunt, neque adimpleverunt, quod illis decretis ipsis fuerat injunctum, atque præceptum; dum absunt a dictis suis rectoriis, ac beneficiis curatis, & perpetuis vicariis, neque in eis residentiam faciunt. Tenore igitur præsentium sacro approbante concilio, admoneamus, dici-

mus, atque præcipimus omnibus, & singulis Rectoribus, Vicariis perpetuis, & beneficiis cum cura obtinentibus in hac nostra provincia, ut intra triginta dies immediate sequentes postquam hæ nostræ litteræ fuerint publicatæ, eant, & quilibet eorum eat ad regendum, & gubernandum personaliter præfatas rectorias, beneficia curata, & vicarias perpetuas suas, sub pœnis in dictis decretis statutis, atque ordinatis, etiam privationis dictarum rectoriarum, beneficiorum curatorum, & vicariarum; & ut in eis, & singulis eorum unusquisque Rector, Vicarius, aut beneficiatus personaliter insistat, & illic suam continuam residentiam faciat; & inde non discedat, sine sui Prælati licentia petita, & obtenta. Exhortantes, injungentes, & præcipientes omnibus & singulis Episcopis suffraganeis nostris, ut idem diligenter publicari, & efficaciter observari, atque adimpleri in suis ecclesiis, atque diocœsibus faciant. Eadem quoque publicari, adimpleri, & observari mandamus in nostra sancta ecclesia metropolitana ejusque diocœsi. Dat. Barcinone, XX. Novembr. an. MDLXV.

## Prætermissa.

JOANNES Patriarcha Alexandrinus in primo concilio Tarraconensi.

**A**D memoriam reducentes statuta Patrum, in quibus præcipitur, ut semel in anno per Episcopos synodalia concilia celebrentur: & super hoc reperimus aliquos Episcopos nostræ provinciæ negligentes; sacro approbante concilio statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ suffraganeis nostris præcipimus; ut singulis annis per se, vel per idoneos viros, si ex causa necessaria fuerint præpediti, dicta synodalia concilia habeant celebrare.

SANCTIUS Archiepiscopus in tertio concilio Tarraconensi.

**I**tem quia in nostro sacro concilio provinciali in dubium vertebatur, an Archidiaconi nostræ provinciæ, quibus competit ex consuetudine, privilegio vel alias quomodolibet visitare, servare, habeant constitutionem domini Papæ Benedicti XII. quæ incipit, *Vas electionis*: vel constitutionem editam per D. Joannem bon. mem. Patriarcham Alexandrinum, & administratorem sanctæ ecclesiæ Tarraconensis, quæ incipit, *Prælati*: ideo de consilio & assensu dicti sacri concilii declarando constituimus, & ordinamus; quod præfati Archidiaconi constitutionem prædicti D. Papæ Benedicti servare teneantur. Quod etsi dicti Archidiaconi tres evectiones, vel minus ducerent, quinque solidos pro qualibet evectione tantum

a volentibus pecuniam solvere: si autem quatuor, vel ultra evectiones usque ad septem ducerent, viginti quinque solidos pro omnibus septem juxta tenorem constitutionis D. Benedicti, similiter a volentibus valeant recipere. Datum ut supra.

ENNECUS Archiepiscopus in secundo concilio Tarraconensi.

**E**X eo, quia nonnulli temporale dominium obtinentes, quamquam constitutione provinciali, quæ incipit, *Licet iniquum* &c. excommunicationem incurrant, qui personis ecclesiasticis decimas, seu fructus provenientes ex beneficiis ecclesiasticis, & locis eorum jurisdictioni subjectis extrahi non permittunt, nec libere uti eis, vendere, vel alienare prohibentes; nec pro eorum utilitatibus, seu necessitatibus, & suorum beneficiorum permittentibus de dictis decimis, seu aliis fructibus facere liberam alienationem, in quos volunt; obstinatione tamen, & aliquali contemptu excommunicationem vilipendentes, prædicta facere non omittunt. Ideo volentes, ut ex dicta constitutione fructus aliquis habeatur, sacro concilio approbante, confirmantes dictam constitutionem, ut metu gravioris pœnæ similia facere pertimescant, adicimus prædictæ constitutioni, & statuimus; quod quicumque temporale dominium obtinens per quinque dies animo indurato præfatam excommunicationem susluerit, & requisitus infra spatium decem die-

dierum a dicta requisitione in antea computandorum, a prædictis impedimentis non cessaverit, & destiterit cum effectu; loca, seu castra, & terra ipsius eo ipso sint supposita ecclesiastico interdieto; a qua sententia excommunicationis nullatenus absolvatur, nec interdictum relaxetur, donec de injuria, & damnis propterea irrogatis satisfecerint competenter.

Ferdinandus Loazes Archiepiscopus in concilio Barcinonensi.

CUM in sacro œcumenico Tridentino concilio sessione XXIV. cap. II. statutum sit, ut Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subiciuntur, aliquem vicinum metropolitanum se-

mel eligant, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse debeant; & quæ ibi ordinata fuerint, observent, atque observari faciant; in reliquis omnibus eorum exemptio, & privilegia salva, atque integra maneant: & cum postea Elnensis Episcopus huic sacre synodo interfuerit, & ecclesia Elnensis syndicum suum in eadem habuerint: sacro approbante concilio, declaramus, omnes nostras constitutiones, atque decreta, ceteraque in hac synodo statuta, & in posterum quodcumque statuenda, ab omnibus in eadem diœcesi Elnensi observari debere; exemptionibus, & privilegiis ejusdem Episcopi, & ecclesiæ in ceteris semper salvis.



PRIME EDITIONIS AUCTORITAS.

EGO Petrus Plana I. D. Officialis, & Vicarius generalis illustriss. D. mei Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, visa relatione facta per reverendum Petrum Torrens doctorem Theologum, lectorem, ac Rectorem Universitatis Tarraconensis, cui commissus fuit videndus liber hic, qui CONSTITUTIONUM PROVINCIALIUM LIBRI QVINQUE inscribitur, licentiam concedo imprimendi, atque vendendi in urbe, & diœcesi Tarraconensi dictum librum. In cujus rei fidem has litteras fieri iussimus. Dat. Tarracon. die xviii. Junii MDLXXX.

U. Plana prædictus.

410. 1.	Dati etc.	417. 1.	Quoniam non habent
410. 1.	Ad extirpandum	417. 2.	Quoniam non habent
410. 2.	Interdictionum	417. 3.	Quoniam non habent
410. 3.	Interdictionum	417. 4.	Quoniam non habent
410. 4.	Interdictionum	417. 5.	Quoniam non habent
410. 5.	Interdictionum	417. 6.	Quoniam non habent
410. 6.	Interdictionum	417. 7.	Quoniam non habent
410. 7.	Interdictionum	417. 8.	Quoniam non habent
410. 8.	Interdictionum	417. 9.	Quoniam non habent
410. 9.	Interdictionum	417. 10.	Quoniam non habent
410. 10.	Interdictionum	417. 11.	Quoniam non habent
410. 11.	Interdictionum	417. 12.	Quoniam non habent
410. 12.	Interdictionum	417. 13.	Quoniam non habent
410. 13.	Interdictionum	417. 14.	Quoniam non habent
410. 14.	Interdictionum	417. 15.	Quoniam non habent
410. 15.	Interdictionum	417. 16.	Quoniam non habent
410. 16.	Interdictionum	417. 17.	Quoniam non habent
410. 17.	Interdictionum	417. 18.	Quoniam non habent
410. 18.	Interdictionum	417. 19.	Quoniam non habent
410. 19.	Interdictionum	417. 20.	Quoniam non habent
410. 20.	Interdictionum	417. 21.	Quoniam non habent
410. 21.	Interdictionum	417. 22.	Quoniam non habent
410. 22.	Interdictionum	417. 23.	Quoniam non habent
410. 23.	Interdictionum	417. 24.	Quoniam non habent
410. 24.	Interdictionum	417. 25.	Quoniam non habent
410. 25.	Interdictionum	417. 26.	Quoniam non habent
410. 26.	Interdictionum	417. 27.	Quoniam non habent
410. 27.	Interdictionum	417. 28.	Quoniam non habent
410. 28.	Interdictionum	417. 29.	Quoniam non habent
410. 29.	Interdictionum	417. 30.	Quoniam non habent
410. 30.	Interdictionum	417. 31.	Quoniam non habent
410. 31.	Interdictionum	417. 32.	Quoniam non habent
410. 32.	Interdictionum	417. 33.	Quoniam non habent
410. 33.	Interdictionum	417. 34.	Quoniam non habent
410. 34.	Interdictionum	417. 35.	Quoniam non habent
410. 35.	Interdictionum	417. 36.	Quoniam non habent
410. 36.	Interdictionum	417. 37.	Quoniam non habent
410. 37.	Interdictionum	417. 38.	Quoniam non habent
410. 38.	Interdictionum	417. 39.	Quoniam non habent
410. 39.	Interdictionum	417. 40.	Quoniam non habent
410. 40.	Interdictionum	417. 41.	Quoniam non habent
410. 41.	Interdictionum	417. 42.	Quoniam non habent
410. 42.	Interdictionum	417. 43.	Quoniam non habent
410. 43.	Interdictionum	417. 44.	Quoniam non habent
410. 44.	Interdictionum	417. 45.	Quoniam non habent
410. 45.	Interdictionum	417. 46.	Quoniam non habent
410. 46.	Interdictionum	417. 47.	Quoniam non habent
410. 47.	Interdictionum	417. 48.	Quoniam non habent
410. 48.	Interdictionum	417. 49.	Quoniam non habent
410. 49.	Interdictionum	417. 50.	Quoniam non habent
410. 50.	Interdictionum	417. 51.	Quoniam non habent
410. 51.	Interdictionum	417. 52.	Quoniam non habent
410. 52.	Interdictionum	417. 53.	Quoniam non habent
omnibus corrigant, & emendandos curent. Hospitalia, confraternitates, & omnia pia opera, oneraque cujusque beneficii diligenter prospiciant, & ex fundatoris, ac instituentis præscripto, & voluntate exequenda districte præcipiant. Domos parochialis ecclesiæ, & beneficiorum omnium dirutas instaurare, ruinam minantes reficiendas procurent. Colloquia monialium, & clericorum omnino prohibeant. Mulieres, quæ ætate provecæ non fuerint, de quibus suspicio apud populum, & scandalum oriri possit, cum clericis cohabitare non permittant. Peccata publica, tum cleri, tum populi severe puniant, & omnino evellant. Officiales foraneos, quo pacto in administratione jurisdictionis sibi committæ se exercuerint, diligenter intelligant, & quos in suo munere negligentes repererint, aut jurisdictione abutentes, amoveant; amotos corrigant, & castigent, & tales ei muneri præficiant, qui prudentes sint, & populo exemplo esse possint: & denique nihil Episcopi prætermittant, quod ad salutarem, & piam populi instructionem, & correctionem pertinere videatur. Si vero Episcopi legitime impediti fuerint; visitandi munus solis Vicariis generalibus committant, aut aliis doctis & piis hominibus hujus rei usu peritis, & idoneis; qui visitationis officium sedulo, ut par est, præscripto modo, & forma exequantur: quibus præcipiant, ne aliis remotorum locorum visitationem committant, neve jus procurationis solvi consuetum, ab eis ecclesiis, quas non visitaverint, recipiant; ut in quibusdam aliquando diocesis, quod non sine dolore referimus, hoc ipsum, ut credimus, ignorantibus Episcopis, aliquorum relatione audivimus accidisse. Hanc constitutionem ad Abbates, Archidiaconos, Capitula, & alios inferiores, qui hætenus visitationem exercere legitime consueverunt, extendi volumus.

## TITULUS III.

*De procuratoribus pauperum.*

## CAPUT I.

**Æ**quum plane est, & rationi consonum; ut quæ sancte a nostris prædecessoribus statuta sunt, si neglecta jaceant, renovemus, & in memoriam revocemus. Fuit sane pie a Petro tertio prædecessore nostro institutum; ut in unaquaque diocesi nostræ provincie advocatus aliquis, & procurator statuerentur ac designarentur; qui in causis viduarum, pupillorum, & aliarum miserabilium personarum, qui propter indigentiam, & paupertatem eas ad exitum, & debitum finem deducere non possunt, gratis patrocinentur. Quare sacro approbante concilio dictam constitutionem, quæ incipit *Super egenum*, renovantes: omnibus nostræ provincie Ordinariis districte præcipiendo mandamus; ut unusquisque in sua curia, quamprimum fuerit requisitus, advocatum, & procuratorem instituat, qui juxta dictam constitutionem, pauperum, & miserabilium personarum causas defendant, & ad debitum exitum procurent perducendas.

lib. I. tit.  
18. de pro-  
cur. cap. I.

TITULUS IV.

*De vita, & honestate clericorum.*

CAPUT I.

**E**tsi sublimis, atque admirabilis sit sacerdotum dignitas, magnamque auctoritatem, & sanctimoniam sacris ordinibus insignitus habere debeat: permulti tamen sacerdotes sui status, & dignitatis immemores illam deturpare non verentur; dum inhonesto laicorum ministerio seipos subiiciunt in mensa ministrantes, vel uxores, ac filias eorum tamquam famuli deducentes, ac reducentes, aliaque hujusmodi exercentes. Unde qui tamquam optimi, verique Dci ministri extolli, ac venerari debeant, ab omnibus despiciuntur, & contemnuntur. Horum igitur dignitatem, atque auctoritatem conservare cupientes, constitutionem provincialem, *Nemo militans Deo*, sacro approbante concilio renovantes, & declarantes, hac nostra constitutione sancimus, & sub excommunicationis poena praecipimus, atque mandamus; ut post hac nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, cujuscumque gradus vel conditionis existat, laicis in rebus supradictis famuletur, nec mulieres aliquas, praeter aviam, matrem, sororem, amitam, vel materteram, pedester, vel equester publice deducere, vel reducere audeat. Poterit tamen sacris initiatus personis ecclesiasticis inservire, praeterquam in rebus vilibus & inhonestis.

CAPUT II.

**N**on possumus non graviter dolere, audientes aliquos clericos hujus nostrae provinciae in sacris ordinibus constitutos, & beneficiatos, qui populo exemplo ad bene, pie, honesteque vivendum esse deberent, in itinere, in civitatibus, & oppidis, tali vestitu incedere; ut sine ullo discrimine tamquam laici reputentur, & habeantur, quod statum clericalem non leviter dehonestat. Quamobrem huic malo de salutari remedio providere cupientes; sacri Tridentini concilii decretis inhærendo, & praedecessorum nostrorum constitutiones de hac re disponentes, sacri approbatione concilii renovantes, ac declarantes; quae sequuntur in tota nostra provincia observanda, praesenti constitutione sancimus, & ordinamus. Principio, ut posthac nullus clericus, cujuscumque gradus, vel conditionis existat in aliquo ex sacris ordinibus constitutus, vel beneficiatus subuculam collari, & manicis rugatis, seu lactucatis deferat; nec vestes virides, rubeas, vel croceas, aut quovis alio inhonesto colore infectas induatur; nec vestes sericas, etiam si fuerit in dignitate aliqua constitutus, aut Canonicus ecclesiae cathedralis; sed nec mulas ornamentis aureis, argenteis, aut sericis ornari patiatur. Quilibet vero sacerdos, aut sacris initiatus, vel beneficiatus caligas honestas, sotanam, vel tunicam satis oblongam cum mantello, aut toga ex panno nigro, vel propter paupertatem fusci coloris vestiatur; pileumque statui clericali decentem deferat: infirmitatis tamen causa, vel in itinere galerum,

tabardum, aut tunicam brevem deferre poterit. Deinde in ecclesia, & choro, ac in sepulturis, & novenis, seu in aliis quibuscumque exequiis, & divinis officiis, quae tam pro vivis, quam pro defunctis dicuntur; sotanam, vel tunicam talarem, superpelliceum mundum, seu roquetum pro tempore congruens, & pileum clericalem induatur; coronam, & barbam praesertim in superiori labro saepius radar, & caveant omnes cujuscumque status, & conditionis fuerint, ne cum superpelliceo, aut roqueto per plateas, per civitatem, & oppida deambulantes vagentur; neve carnes, pisces, aut alia victualia sic vestiti emant, aut secum asportentur, qui vero rebus hac constitutione prohibitis contraherit; amissione vestitum, & poena decem librarum, aut alia arbitrio superiorum punietur. Simili quoque poena sacro approbante concilio eos multari volumus, qui chirothecas odoratas, & anulos aureos, vel argenteos deferunt; illis exceptis, qui ratione dignitatis, Doctoratus, vel alterius privilegii anulum deferre possunt. Hortamur autem omnes nostrae provinciae Episcopos, & quoscumque alios Ordinarios; ut in conferendis beneficiis, caveant, ne illis beneficia conferant, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude; sed ut Deo, & ecclesiae fidelem cultum praesent, velle ecclesiasticum beneficium recipere; & eosdem moneant diligenter, ut praesentem observent constitutionem, quod si non fecerint, sciant, se juxta decretum sacri concilii Tridentini, beneficiis privandos esse.

CAPUT III.

**A**rmorum usum, sacrorum conciliorum, & sanctorum Patrum decretis prohibitum esse certum est: nihilominus multorum relatione intelleximus, aliquos hujus nostrae provinciae clericos in sacris constitutos suae honestatis, & dignitatis immemores arma deferre offensiva, & jure prohibita. Quamobrem constitutionem provincialem: *Cum usus armorum*, & constitutionem: *Approbando de vita, & honestate clericorum*, sacro approbante concilio renovantes, & ampliantes statuimus, atque ordinamus; ut posthac nullus clericus, cujuscumque dignitatis, & conditionis fuerit, vel beneficiatus arma deferre audeat. Si quis autem ex praedictis ballistam, lanceam, pugionem, vel sicam, vel tormentum, quodvis manuarium, id est, scopetam, vel similia portaverit, & cum ipsis fuerit repertus, praeterquam in itinere, in quo enses deferre poterit; decem ducatorum poenam aequis portionibus pauperibus illius loci, in quo deprehensus fuerit, & reparationi domus Episcopalis, aut illius Ordinarii, ad quem clericum deprehensum punire spectat, dividendam incurrat, & eadem ipsa arma prohibita amittat. Poterit tamen Episcopus, vel Ordinarius, si ita expedire judicaverit, facultatem aliquando praebere clericis; ut eos talia arma deferentes commitentur, necessitate ita exigente.

CA.

*Lib. 3. tit. 1. de vita, & hon. cleric. cap. 11.*

*Lib. 3. tit. 1. c. V. & cap. X.*

## CAPUT IV.

**C**UM ex ludi vitio multiplicia mala oriri compertum sit, videlicet perjuriam, blasphemias, rixas, seditiones, homicidia, furta, quamplurimaque alia nefanda crimina; idque vitium omnes Christianos, & maxime clericos deceat: omnino interdiciamus omnibus in sacris ordinibus constitutis, seu beneficia ecclesiastica cujuscumque qualitatibus obtinentibus aleam semper, & ludos chartularum, & pilæ, nisi intra parietes privatos, & tam sacerdotibus, seu beneficiatis recreationis causa. Ita tamen ut neque frequenter, neque cum scandalo id fiat: hortantes eos potius litteris, seu musicæ vacare, aliisque honestis occupationibus, quam in hoc turpi, & inhonesto vivendi genere tempus conterere; memores se de verbis otiosis, nedum de factis turpibus strictam rationem in supremo judicio reddituros. Volumus tamen, ut cum musicæ vacabunt, non noctu vagantes, aut laicorum recreandorum gratia id peragant. Contrarium vero facientes, vel partem aliquam cum ludentibus habentes; pœnam quinque librarum incurrant.

## TITULUS V.

## De sepulturis.

## CAPUT I.

**Æ**quitati maxime convenit; ut si in his, quæ prudenter, ac salubriter constituta sunt, contentio materia oriatur; opportunum declarationis remedium quamprimum adhibeatur. Constitutionem itaque a bonæ mem. Ferdinando de Loazes prædecessore nostro in concilio Barcinone celebrato editam, quæ incipit: *Et si ab omni specie mali*, declarantes; sacro approbante concilio sancimus, ut appellatione alienigenæ, & peregrini, de quibus in ea fit mentio, non comprehendantur homines ejusdem diocesis, neque consanguinei, & affines alienæ diocesis usque ad tertium gradum exclusive de jure canonico computandum, neque etiam famuli, sive ancillæ eorum, in quorum domibus illos decedere contigerit, neque qui in eisdem parochiis ultra annum commorati fuerint, etiam si alienæ nationis fuerint, & in eis domicilium non constituerint. Verum quia, ut accepimus, Rectores, Vicarii perpetui, & alii curam animarum exercentes, in quorum parochiis alienigenæ, & peregrini prædicti decedunt, solent pecunias exactas ex bonis ipsorum decedentium juxta dictæ constitutionis dispositionem penes se retinere, & in suos proprios usus, & utilitatem convertere, nullis Missarum sacrificiis, elemosynis, aut suffragiis eorum, qui obierunt, animas juvantes: idcirco constitutionem prædictam apertius declarantes statuimus, & ordinamus; ut ipsi Rectores, Vicarii, & alii prædicti, pecuniarum, ut præfertur, exactarum medietate penes se libere, & licite retenta, reliquam medietatem in Missas, & alia divina suffragia pro defunctis personis erogare omnino teneantur; advocatisque ad id suarum, aut vicinarum, si in suis non reperiantur, ecclesiarum

presbyteris, exequias ejus, qui ita obierit, juxta illius condicionem, & statum, perinde ac si eorum proprius parochianus esset, honorifice peragant, atque in Missarum, & aliorum suffragiorum celebrationem, & elemosynarum largitionem pro refrigerio animæ ipsius defuncti, integre distribuant, atque elargiantur, quacumque consuetudine non obstante.

## TITULUS VI.

## De decimis, &amp; oblationibus.

## CAPUT I.

**Q**uia nonnulli vitiorum laqueis innodati, adeo Rectorum, & aliorum curatorum monitionibus exasperantur, ut oblationes illis offerri solitas denegent; & quod detestabilius est, cum aliis diabolica conjuratione directe, vel indirecte conspirant, ne in posterum Parocho similes oblationes offerant: hac nostra constitutione tanto morbo medelam adhibere desiderantes, sacro approbante concilio sancimus, & sub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus omnibus nostræ provinciæ fidelibus, ut ab hujusmodi diabolicis conjurationibus se ablineant. Omnes vero Prælatos, & superiores in Domino hortamur; ut in hac re animadvertenda, & repellenda severe se habeant; ne populus a tam pia, veteri, & debita Christianorum consuetudine sensim, & paulatim retrahatur: & constituto de tanto excessu; ut contra invasores, & usurpatores rerum ecclesiasticarum juxta formam constitutionum nostrorum prædecessorum Apostolica auctoritate confirmatarum procedant.

## TITULUS VII.

## De regularibus, &amp; eremitis.

## CAPUT I.

**V**itam solitariam in eo, in quo non præcesserint magna, & præclara perfectionis argumenta, periculosa esse sancti Patres apertissime tradiderunt: nihilominus tamen ad nostrum auditum pervenit, multos ignaros eremitici instituti, perversæ, atque reprobatæ, & obscuræ vitæ in hac nostra provincia laborem fugientes, & otio torpentes, ad victum dumtaxat quærendum, hoc vitæ genus elegisse, unde multa mala, & scandala oriri posse credendum est. Quamobrem sacro approbante concilio præcipimus, & sub pœna excommunicationis mandamus; ut posthac nullus habitum hujusmodi, aut locum eligat sine decreto, & licentia Ordinarii in scriptis: Ordinarios vero monemus, & hortamur; ut in hujusmodi hominibus admittendis caute se habeant, ne aliqui pelle ovina populum incautum decipiant; Parochum vero, seu Curatum, in cujus parochia sacellum eremiticum constructum fuerit, si absque Ordinarii licentia Eremitam admiserit, decem librarum pœna puniendum esse sancimus, & ordinamus. Maxime autem tollantur ab eorum commercio, & frequentatione mulierum colloquia, & puerorum educatio, atque adolescentium nocturni cœtus; solet enim his initiis multis sceleribus janua aperiri.

Lib. 3. tit. 15. de sepult. c. 3.

TITULUS VIII.

*De censibus, & exactionibus.*

CAPUT I.

**N**ON minus oportet crimina cavere, antequam fiant; quam ea punire, & detestari, postquam fuerint perpetrata. Idcirco hac nostra constitutione collegimus quadam sacrosanctæ Tridentinæ synodi capita, quibus cavetur; ut gratis accepta munera, gratis etiam conferantur.

*Sessio V. cap. II. de Reformatione fragmentum.*

Regulares vero cujuscumque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; in ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint: ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.

*Sessio XXI. cap. I. de Reformatione.*

Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant. Notarii vero in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit: tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum quæ potius abusus, & corruptelæ Simoniacæ pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicens: & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, poenas a jure inflictas ipso facto incurrant.

*Sessio XXIII. cap. I. de Reformatione.*

Cum præcepto divino mandatum sit omnibus & infra. Eadem omnino, etiam quoad culpam, & amissionem fructuum, & poenas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta synodus declarat, & decernit, ita tamen, ut quodcumque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum

Tom. III.

debita mercedis assignatione relinquunt. Descendendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per editum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere, nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto; etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, sive appellatione aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse. Postremo, tam decretum illud sub Paulo III. quam hoc ipsum in conciliis provincialibus, & Episcopalibus publicari, sancta synodus præcipit: cupit enim, quæ adeo ex Pastorum munere, animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum, Deo juvante, nulla temporum injuria aut hominum oblivione, aut defuetudine aboleantur.

*Et cap. XV.* Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta synodus, nullum etiam regularem posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias, idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.

*Sessio XXIV. cap. V. de Reformatione matrimonii.*

Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiciatur poenis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempnit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

*Et cap. VI. de Reformatione simpliciter.*

Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque

casibus occultis, etiam fedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientia gratis absolvi; imposita pœnitentia salutari. Idem, & in hæresis crimine in eodem foro conscientia eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.

*Sessio XXV. cap. XVIII. de Reformatione.*

Sicuti publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio subrepticia censeatur.

Quæ omnia decreta ab omnibus hujus nostræ Provinciæ Ordinariis, etiam si Episcopalis dignitatis fuerint, sacra approbante synodo Provinciali, districtè præcipimus, atque mandamus in omnibus, & per omnia observari. Ordinarius vero, qui quidquam contrarium his decretis fieri permiserit, præter divinam ultionem, & pœnas in dictis decretis impositas, in proxima synodo Provinciali celebranda, tamquam fautor avaritiæ, de his omnibus strictam cogetur reddere rationem.

#### TITULUS IX.

*De celebratione Missarum, & divinorum officiorum.*

#### CAPUT I.

**C**UM omnia, quæ in ecclesia peraguntur divina officia, summa cum reverentia agi, & tractari debeant; tum vero vel maxime divinum Missæ sacrificium, cum quo nullum aliud conferri, & comparari potest: quare ut illud a sacerdotibus rite peragatur, atque a populo religiose colatur, & reliqua divina officia cum reverentia celebrentur, & omnes abusus, qui in his peragendis accidere solent, auferantur; sacrorum conciliorum, & prædecessorum nostrorum vestigia persecuti; hæc, quæ sequuntur, in tota nostra provincia sacri approbatione concilii servanda sancimus.

Sacerdotes Missæ sacrificium facturi, ne accedendo ad altare manibus pollutis, oculis impudicis, ore inverecundo, corde impuro, Christum, quantum in se est, iterum crucifigant; tam alti mysterii meditationem antea ponderent, & quæ in Missa legenda sunt, mature præveniant, propriam conscientiam diligenter discutiant; nec prius ad tantum sacramentum accedant, quam sacramentali confessione conscientia labem, si quam habent gravem, diluerint; & eum semper confessorem

eligant, qui non solum doctrinæ; sed multo etiam magis vitæ, morumque dotibus præditus sit. Hortamur autem omnes Episcopos nostræ provinciæ, & alios quoscumque Ordinarios; ut ad sacerdotum confessiones audiendas, eos dumtaxat eligant in unaquaque ecclesia, quorum magis sit probata vita: hinc enim tota fere pendet sacerdotum disciplina.

Constitutionem provincialem, *Antiquorum Patrum*, sacro approbante concilio renovantes, omnibus nostræ provinciæ sacerdotibus cujuscumque status, & conditionis fuerint, præcipimus; atque mandamus; ut sanctum Missæ sacrificium sine duabus candelis cereis incensis, & in utraque altaris parte positis non peragant; purificatoria octavo quoque die, corporalia, & reliqua altaris ornamenta semel ad minus singulis mensibus mundanda curent: negligentes vero pœna quinque librarum, aut alia arbitrio Superioris, puniantur.

Prohibet etiam sacrum concilium Tridentinum, in domibus privatis, & aliis locis indecentibus sanctum Missæ sacrificium celebrari; nihilominus aliquorum relatione intelleximus, nonnullos Ordinarios importunitate laicorum facile hujusmodi facultatem celebrandi sine visitatione capellarum in domibus privatis concedere; quod sine irreverentia tanti sacrificii fieri non potest. Quamobrem sacro approbante concilio sancimus, & ordinamus; ut posthac in domibus privatis, ubi capellæ constructæ non fuerint, facultas celebrandi nullo modo concedatur: in sacellis vero eremiticis, & aliis ecclesiis, ac in capellis domorum privatarum matura consideratione, si decenter ornatae & clausæ fuerint, & separatae a cubiculis; talis facultas celebrandi post visitationem earum concedi poterit. Sacerdos autem, qui ante dictam visitationem, & approbationem sine licentia Ordinarii in domibus privatis, aut in capellis indecenter ornatis celebrare præsumperit; graviter puniatur.

Solent in quibusdam ecclesiis nostræ provinciæ, aut cum festum patroni ecclesiæ celebratur, aut in sollempnitatibus quarundam confraternitatum, ac Missis novis, hora undecima, aut circa duodecimam Missam conventualem inchoare; unde & officium brevius, aut longius, quam par est, protrahitur, & populus, qui orationibus & devotioni eo potissimum tempore vacare debebat, officio, & concioni attendere nullo pacto potest. Quare sacra approbante synodo hunc abusum reprimere cupientes, sancimus, & ordinamus; ut in qualibet ecclesia, & parochia nostræ provinciæ, & tempore hyemis, & tempore æstatis, Missa conventualis inter octavam, & nonam inchoetur; nisi ob justum impedimentum aliter fieri expedierit, ecclesiis Cathedralibus exceptis; qui vero contrarium fecerit, pœna quinque librarum pro qualibet vice multetur. Intra ecclesiam, aut monasteria larvatos homines, aut quoscumque alios, qui officia sacra perturbant, quales sunt tormenta manuarum portantes, sulfuratis

*Lib. 3. tit. 24. de celebr. Missar. c. XIII.*

ma-

machinis, tubis, tympanis, & aliis instrumentis bellicis, aut ludicris utentes, quibus maxime officium perturbatur; juxta constitutionem provincialem *Cum scriptum sit*, renovantes, omnino fieri prohibemus: dum vero Missæ sacrificium, & vesperarum officium peraguntur; præter organum, eos dumtaxat musicos admittendos volumus, qui vulgo menestriales appellantur; ita tamen, ut solum offertorii tempore, aut in processibus, sacras cantiones psallant, & decantent; aquam vero benedictam cum aqua rosacea, aut alia odorifera permisceri, omnino prohibemus. Sibyllæ carmina & pastorum nugas, aliasque vulgares cantilenas nullo tempore in ecclesiis cani permittantur, sed lætitia spiritali exultans clerus populum doceat risum levitatis signum, esse fugiendum omnibus Christianis.

Cum illi, qui in choro conveniunt, canendi, seu psallendi, & non confabulandi, seu dormiendi gratia convenire debeant; ut ita decenti clericorum numero, majorique solemnitate, & reverentia divina officia peragantur, pariterque ab omnibus in Psalmis, & Canticis devote, ac reverenter nomen Domini laudetur; & ut bursarius, sive is, qui ejus officio fungitur, ex cujus diligentia fere totam Chori disciplinam, ejusque regimen pendere comperit, certo sciat, quibus distributiones quotidianas juxta sacramentum ab eo præstitum in introitu sui officii tuta conscientia solvere, & exhibere possit, & debeat: hac nostra constitutione statuimus, & ordinamus; ut qui in Matutinis ante finem Psalmi *Venite exultemus*; in aliis horis ante finem primi Psalmi; in Missa vero conventuali, vel anniversarii ante ultimum *Kyrie eleison* dictum non venerit, & usque in finem divino officio non interfuerit, & in majori saltem parte Missæ, vel cujuscumque horæ canonicæ confabulationibus vel deambulationibus, vel somno operam dederit; illius horæ distributione privetur. Et si dicta distributio a dicto bursario scienter pro illa hora, qua id egerit, ei dabitur; ad restitutionem illius in foro conscientie teneatur: nisi pro celebranda Missa, vel alia urgente necessitate permisso, & licentia Præsidis e choro exierit, aut propter negotia ecclesie, aut ex infirmitate evidente præsens in choro censeatur; abusum illarum ecclesiarum, in quibus sola facta, ut dicunt intrata, sive introitu in chorum, distributiones recipere consueverunt, constitutionem provincialem, *Cum propter evidentem*, renovantes, salvis etiam laudabilibus ecclesiarum constitutionibus, ordinationibus, vel consuetudinibus, quæ artius de his rebus disponunt: ne instituta per nos ad cultus divini augmentum, deminutionem ejus operentur. Quod etiam ad alias partes harum constitutionum referendum censemus.

Quia honestatem ubivis, & præcipue in ecclesiis, dum divina celebrantur officia, clerici servare debent: sacro approbante concilio statuimus, & ordinamus; ut cum primum cleri-

ci ecclesiam intraverint, superpelliceis mundis sive roquetis, ac minime laceratis, vestibus inferioribus talaribus nigris, aut alio honesto colore infectis sine fericis flosculis, seu alamaribus, ut dicunt, cum cappis, & almuciis pro tempore congruentibus induantur. Item in processibus, & choro silentium, & gravitatem fervent; nec literas, aut scripturas aliquas legant, nec confabulentur, sed nec privatum officium dicant; quin potius horis canonicis intendant, psallant, & cantent, non festinanter, sed lente, ac pedetentim: contrarium vero facientes distributione illius horæ priventur. Clericos, dum divina celebrantur officia, e choro exeuntes, & per ecclesiam vagantes, si semel moniti non destiterint, per mensem distributionibus quotidianis privandos esse sancimus, & nostræ Provinciae Prælatos in Domino hortamur; ut laicos juxta motum proprium Pii V. felicitis recordationis, per ecclesiam vagari, cum divina celebrantur officia, non permittant; multo minus fœminas chorum, aut choro proximos cancellos, etiam ex parte superiori contiguos, aut vicinos, sub anathematis pœna ingredi; & viros laicos, ubi aliter fieri non potest propter angustiam loci, a clericis non discerni, ac separari, majore parte chori clericis relicta. Qua in re si non paruerint laici, in sententiam excommunicationis illos incidere declarent.

TITULUS X.

*De baptismo, & celebratione Missarum.*

CAPUT I.

Quoniam in nostra provincia multæ malæ suspiciones, & scandala ex compaternitate clericorum, & mulierum oriri intelleximus, sacro approbante concilio sancimus, & ordinamus, & sub pœna excommunicationis mandamus; ut posthac tam regulares quicumque, quam sæculares presbyteri, & alii in sacris ordinibus constituti, & beneficiati in sacramento baptismi, vel confirmationis puerum, vel puellam non teneant. Item sub pœna decem librarum omnibus novitiis sacerdotibus præcipimus, ne cum primam Missam celebrent, nec aliquo alio tempore choreas ducant, ac saltent; cum debeat illo die sacerdos de tanto sibi collato beneficio Deo gratias agere; quos etiam sub eadem pœna, & alia arbitrio Ordinarii multari sancimus, si ad primam Missam celebrandam patrinos laicos viros, aut fœminas vocaverint. Quod etiam ad regulares extendimus sub pœna irregularitatis duraturæ arbitrio Ordinarii, quoad sacerdotes; & excommunicationis quoad laicos.

TITULUS XI.

*De reliquiis, & veneratione sanctorum.*

CAPUT I.

CUM nemini dubium sit, sacrosanctam matrem Ecclesiam omni studio, & vigilantia in expellendis variis, ac diversis superstitionibus, quas tam Christi fideles, quam alii in reliquiis sanctorum venerandis, & in malis curandis adhibere solent, usam fuisse: ideo ejus

Lib. 3. tit. 29. de imm. eccl. c. IX.

Lib. 1. tit. 2. de constitut. c. XVI.

vestigii in re præsertim tam sancta adhaerentes sacro approbante concilio præsentis constitutione præcipimus; ut reliquias sanctorum, & crucis sanctissimæ signum piis obsequiis, & processionibus omnes Christi fideles Dominum orantes venerentur; eas vero in aquam immergi, aut madereri, & sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum ad inundationem aquarum, aut ad incendia, & rixas, & ærum tempestates deferri prohibemus: quin potius casu aliquo hujusmodi occurrente pulsatis campanis dictam sanctam Eucharistiam reverentia, & veneratione debitam a sacratio extrahant, & super altare illius ecclesiæ ponant. Ibi una cum clero, & populo Deum, qui solo verbo omnia sanare, & curare potest, fide sincera, puroque animo, ut hæc mala avertat, pie, ac sancte precentur: ad oia pia, & reliquias sanctorum jurare, vel pueros sine baptisate mortuos ad aliquam ecclesiam deferre, eo prætextu, ut reviviscant, & postea baptizentur, expetendo miraculum sine ulla divina revelatione præcedente, peccatum cum sit, & superstitionem sapiat; sub pœna excommunicationis prohibemus. Orationes vero in malis curandis, & expellendis, quæ non fuerint ab Ordinario auditæ, & approbatæ, sub excommunicationis pœna reiiciendas sancimus, & ordinamus.

## TITULUS XII.

*De simonia.*

## CAPUT I.

**C**UM sacramenta Ecclesiæ non solum sine simoniæ labe, verum etiam sine suspitione præbenda sint; caveant omnes, ne in eorum administratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel signis, directe, vel indirecte petant. Qui secus fecerint, & pœnis jure communi statutis, & aliis arbitrio Episcopi plestantur; sublata etiam pro jure sepulturæ ea exactione, quæ ratione pacti, vel statuti, aut assertæ consuetudinis cujuscumque ecclesiæ, simoniæ labem sapiat. Quod eorundem Episcoporum conscientiæ, & arbitrio, ut animarum salutem expedire intellexerint, emendandum relinquimus.

## TITULUS XIII.

*De sententia excommunicationis.*

## CAPUT I.

**A**gre ferimus, constitutiones provinciales contra invasores personarum, & rerum ecclesiasticarum a nostris prædecessoribus editas, & in tam evidentem ecclesiæ utilitatem auctoritate Apostolica confirmatas, ab omnibus hujus nostræ provinciæ Ordinariis exacte

non observari. Quamobrem sacro approbante concilio sancimus, & districtè præcipiendo mandamus; ut posthac nullus Ordinarius ausu temerario quidquam in eis observandis audeat immutare. Insuper sub pœna excommunicationis Officialibus nostris, & suffraganeorum nostrorum, & aliorum quorumcumque præcipimus; ne aliquem in vim dictarum constitutionum declaratum excommunicatum absolvant, neque ad cautelam, neque cum reincidentia, quousque parti plene satisfecerit, aut de ejus consensu, vel nisi post longam dilationem ad judicem appellationis processus, si ve acta non afferantur; vel si ex eisdem actis constet de notoria injustitia, & aliæ probationes fieri postulentur, ut suspicio sit calumniæ id petentis. Pro declaratione vero a notorio in vim dictarum constitutionum nihil recipiant sub eadem pœna. Quod si parte nolente, aut non satisfacta, aut cum reincidentia, aut ad cautelam munus absolutionis impenderit, nisi aliquo ex prædictis casibus: sancimus, ac declaramus absolutionem sic factam nullam esse; constitutiones provinciales, *Pia consideratione; Naturalis dictar ratio, & Querelæ*, sacro approbante concilio renovantes, & ampliantes. In reliquis autem censuris ecclesiasticis declarandis, ac ferendis, præsertim in his excommunicationibus & monitionibus, quæ pro rebus deperditis, vel subtractis, & pro debitis ferri solent; omnes nostræ provinciæ Ordinarios, quantum possumus, in Domino hortamur; ut caveant, ne facile pro rebus vilibus, & parvi momenti eas ferri patiantur: ne quod pro salutem fidelium institutum est, ex contemptu in eorum perniciem convertatur. Eisdemque præcipiendo mandamus; ut in hujusmodi sententiis ferendis ordinem a sacrosancto concilio Tridentino cap. III. de reformatione, sessione XXV. præscriptum, observent & observari faciant.

*Interfuerunt huic Provinciali concilio Episcopi tres, Abbates sex, Prior unus, Procuratores Episcoporum absentium duo, Deriosani, & Urgellitani; Syndicus ecclesiæ metropolitanae Tarraconensis, & septem Capitulum ecclesiarum cathedralium, Syndici, & procuratores Abbatum absentium duo, & monasteriorum pastore carentium tres.*

*Episcoporum nomina sunt hæc:*

JOANNES Dimas Loris Episcopus Barcinonensis.

JOANNES Teres Episcopus Helenensis.

JACOBUS Cassador Episcopus Gerundensis.

*Lib. 5. tit. 15. de sententia excomm. cap. XXI. & c. XXVIII. & XXXII.*





ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

P. R. E. M. I. O.

# ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

## CONSTITUTIONUM

SYNODALIIUM TARRACONENSIIUM

PARTES QUINQUE

Quid vere ars artium a beato Gregorio  
 magister admiranda dicitur, ita o-  
 pus est artem multis instructis docu-  
 mentis. Quamobrem a maiestatis vo-  
 luntate  
 formula  
 uti a nobis petita sunt in synodis, colligi hoc  
 in volumine curavimus. Est igitur optima pasto-  
 ris, ut illa consideret, leges nihil sine meritis  
 prodelle; & ut non minus exemplo, quam do-  
 ctina, & preceptis subditos doceat: ne vita do-  
 ctinam destruat. Cumque orare pro populo de-  
 beamus, cavendum est, ne cum his, qui displices,  
 ad intercedendum mittitur irati animus irruerit  
 magis, quam placatus videatur. Dividitur autem  
 hic liber in partes quinque: prima parte de ve-  
 ri, & honestate, & illis qualitatibus personarum  
 ecclesiasticarum agitur: secunda de sacramentis,  
 tertia de ecclesiis, & earum rebus: de criminibus  
 & penis quarta: quinta pars fidei instrumento-  
 rum, & officium notariorum continet.

# ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARACONENSIS

CONSTITUTIONUM

SYNODALIUM TARACONENSIVM

PARTES QVINQUE

## LITURGIA

De Liturgia. In nomine domini Amen. Quia in hac liturgia continentur caeremoniae et ritus quibus ad Dei gloriam et salutem animarum proceditur, necesse est ut cum sancti patrum traditionibus et scripturis conveniant, et ad edificationem populi dirigantur. Hinc est quod in hoc libro de caeremoniis et ritibus huiusmodi tractatur, ut scilicet quae ad Dei gloriam et salutem animarum pertinent, et ad edificationem populi dirigantur, et ad edificationem populi dirigantur.

## DE SACRAMENTIS

De Sacramentis. Sacramenta sunt signa et caeremoniae quibus ad Dei gloriam et salutem animarum proceditur. Hinc est quod in hoc libro de sacramentis tractatur, ut scilicet quae ad Dei gloriam et salutem animarum pertinent, et ad edificationem populi dirigantur, et ad edificationem populi dirigantur.

De Sacramentis. Sacramenta sunt signa et caeremoniae quibus ad Dei gloriam et salutem animarum proceditur. Hinc est quod in hoc libro de sacramentis tractatur, ut scilicet quae ad Dei gloriam et salutem animarum pertinent, et ad edificationem populi dirigantur, et ad edificationem populi dirigantur.

De Sacramentis. Sacramenta sunt signa et caeremoniae quibus ad Dei gloriam et salutem animarum proceditur. Hinc est quod in hoc libro de sacramentis tractatur, ut scilicet quae ad Dei gloriam et salutem animarum pertinent, et ad edificationem populi dirigantur, et ad edificationem populi dirigantur.

## ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

## P R Æ F A T I O.



**Q**UM vere ars artium a beato Gregorio regimen animarum dicatur, illam opus est artem multis instruere documentis. Quamobrem a majoribus nostris multæ constitutiones in synodis tam provincialibus, quam diœcesanis editæ sunt: ex his optimas quasque selegimus, & in duabus synodis sacerdotibus, qui vice nostra pastorum officio utuntur, proposuimus. His alias nostro nomine constitutas addidimus, aliaque adminicula formularum instrumentorum, & aliarum rerum, uti a nobis petita sunt in synodis, colligi hoc in volumine curavimus. Est igitur optimi pastoris, ut illa consideret, leges nihil sine moribus prodesse; & ut non minus exemplo, quam doctrina, & præceptis subditos doceat: ne vita doctrinam destruat. Cumque orare pro populo debeamus, cavendum est, ne cum his, qui displicet, ad intercedendum mittitur; irati animus irritari magis, quam placari videatur. Dividitur autem hic liber in partes quinque: prima parte de vita, & honestate, & aliis qualitatibus personarum ecclesiasticarum agitur: secunda de sacramentis: tertia de ecclesiis, & earum rebus: de criminibus, & pœnis quarta: quinta pars fidem instrumentorum, & officium notariorum continet.

CON-

ANTONII AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

PARTE PRIMA

UM vere ars animi a beato Gregorio  
 reginem animarum dicitur, illam o-  
 pus est artem multis instrumentis doceri  
 mentis. Quamobrem a maioribus no-  
 stris multae constitutiones in synodis tam pro-  
 vincialibus, quam dioecesanis editae sunt: ex his  
 operibus quasque legimus, & in duabus syno-  
 dis sacerdotibus, qui vice nostra pastorum offi-  
 cio utuntur, proponimus. His aliis nostris no-  
 mine constitutas addidimus, aliasque administrandi  
 formularum instrumentorum, & aliarum rerum,  
 uti a nobis petitis sunt in synodis, colligi hoc  
 in volumine curavimus. Est igitur optimi pasto-  
 ris, ut illa consideret, leges nihil sine moribus  
 prodelle; & ut non minus exemplo, quam do-  
 ctina, & praecipis subditos doceat: ne vita do-  
 ctinam destruat. Cumque orare pro populo de-  
 beamus, cavendum est, ne cum his, qui displicent,  
 ad intercedendum mittitur; irati animus irritari  
 magis, quam placari videatur. Dividitur autem  
 hic liber in partes quinque: prima pars de vi-  
 ta, & honestate, & aliis qualitatibus personarum  
 ecclesiasticarum agitur: secunda de sacramentis:  
 tertia de ecclesiis, & earum rebus: de criminibus  
 & poenis quarta: quinta pars ibidem instrumento-  
 rum, & officium notariorum continet.



# CONSTITUTIONUM

## SYNODALIUM TARRACONENSIIUM

### PARS PRIMA.

#### TITULUS I.

#### DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

#### CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes Archiepiscopus in synodo  
dicecesana anni MDLXVI.

*Prohibentur in sacris constituti laicis inservire  
aut feminas præter consanguineas deducere,  
& comitari.*



TSI sublimis, atque admirabilis sit sacerdotum dignitas, magnamque auctoritatem, & sanctimoniam sacris ordinibus insignitus habere debeat: per multi tamen sacerdotes sui status, & dignitatis immemores,

illam deturpare non verentur; dum inhonesto laicorum ministerio se ipsos subiciunt, in mensa ministrantes, vel uxores, ac filias eorum tamquam famuli deducentes, ac reducentes; aliaque huiusmodi exercentes. Unde qui tamquam optimi verique Dei ministri extolli, ac venerari debuerant, ab omnibus despiciuntur, contemnuntur, & irridentur; & quasi viles, & abjecti servi tractantur. Eorum igitur dignitatem atque auctoritatem conservare cupientes, cum per provincialem nostram constitutionem, quæ incipit, *Nemo militans Deo (a)*, ita sancitum sit, ipsam renovantes, hac nostra constitutione sancimus, & sub excommunicationis pœna præcipimus, atque mandamus; ut posthac nullus clericus in sacris ordinibus constitutus cujuscumque gradus, vel condicionis existat, laicis in rebus supradictis famuletur: nec mulieres aliquas, præter aviam, matrem, sororem, amitam, vel materteram, pedester, vel equester publice deducere, vel reducere audeat. Attamen si nobili matronæ fortassis obviaverit, urbanitatis gratia poterit illam vel domum, vel ad ecclesiam deducere, dummodo sine contactu manus id fiat. Poterit etiam sacris initiatus personis ecclesiasticis inservire, præterquam in rebus vilibus, & inhonestis.

#### CAPUT II.

IDEM.

*Quibus vestibus uti debeant presbyteri in divinis officiis, & mortuorum exequiis.*

Ab sui, qui jamdiu in præsentis diocesi inolevit, obviare cupientes, hac nostra constitutione sancimus: ut licet presbyteri iter agentes tabardos, aut tunicas breves, & galeros de-

Tom. III.

(a) Cap. ult. eod. tit.

ferre possint; tamen in sepulturis, atque novenis, seu in aliis quibusvis exequiis, & divinis officiis, quæ tam pro vivis, quam pro defunctis dicuntur, huiusmodi vestimentis non utantur, dum ea officia divina celebrantur; sed sotana, vel tunica talari, superpelliceo mundo, & pileo clericali induantur. Qui vero contrarium fecerit, & indumentis ipsis privetur, & duarum librarum pœna pro qualibet vice puniatur.

#### CAPUT III.

IDEM.

*Larvati, & personati indumentis ecclesiasticis non utantur.*

CUM plerique suæ salutis immemores, præsertim carnisprivii tempore, soleant personati, atque larvati incedere; nec vereantur sacerdotalibus, monachalibus, sanctimonialibus, eremiticis, atque etiam quandoque episcopalibus vestibus uti, ut sic larvati bacchantium more per urbes, & oppida vagentur; cumque id in totius clericalis ordinis opprobrium cedat, hac nostra constitutione sancimus; ut posthac nullus cujuscumque condicionis, aut qualitatis existat, sub excommunicationis pœna, supradictis vestimentis se induat. Adicientes sub eadem pœna, ut dum divina celebrantur officia, nullus etiam sine huiusmodi clericalibus indumentis personatus incedat, aut vagetur.

#### CAPUT IV.

IDEM.

*Sacris ordinibus initiati hastiludiis, torneamentis, choreis, & similibus spectaculis interesse prohibentur.*

STATUIMUS, & ordinamus; ut quodcumque in aliquibus oppidis hujus nostræ diocesis aliqua fiant torneamenta, hastiludia, taurorum agitationes, aut alia spectacula, in quibus sanguis humanus fundi solet; clerici in sacris ordinibus constituti, aut beneficia obtinentes, aut monachi nullatenus intersint. In missis præterea novis, aut nuptiis, aut in huiusmodi congregationibus saltare, vel choreas ducere; jocularibus, aut jocos servilibus, ceterisque profanis spectaculis interesse non audeant. Qui contra fecerint, decem librarum pœna plectantur.

#### CAPUT V.

IDEM.

*Constituti in sacris ordinibus, & beneficiis interdicitur armorum usus, præterquam in itinere.*

INSUPER etiam juxta nostræ Tarraconensis provincie constitutionem in concilio promulgatam

Y y y

tam

tam statuimus, atque ordinamus: ut posthac nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, vel beneficiatus, nisi itineris causa arma deferre audeat. Si quis autem ex prædictis ballistam, vel tormentum manuarium, id est scopetam, vel similia portaverit, & cum ipsis fuerit repertus, decem ducatorum poenam æquis portionibus hospitali præsentis civitatis, & reparationi domorum Archiepiscopaliū dividendam incurrat, & eadem ipsa arma prohibita amittat. Qui vero cum lancea, vel aliis offensivis præter ensē fuerit inventus, armis spoliatur, & decem librarum poena multetur.

## CAPUT VI.

IDEM.

*De ecclesiasticorum habitu.*

Quia propriis oculis vidimus nonnullos nostræ diocesis clericos in sacris ordinibus constitutos laicalibus indumentis indutos; idcirco hac synodo approbante, præsentī constitutione sancimus; ut posthac nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, vel beneficiatus subuculam collari, & manicis rugatis, seu lætucatis deferat; nec vestes virides, rubeas, vel croceas, aut quovis alio inhonesto coloris genere confectas induatur: sed nec mulas ornamentis aureis, argenteis, aut ferreis ornari patiatur. Quilibet vero sacerdos, aut sacris initiatus, vel beneficiatus caligas honestas, sotanam, vel tunicam, cum manteo ex panno nigro vestiatur, pileumque statui clericali decentem gerat. Qui autem prohibitis, atque inhonestis vestibus, excepto infirmitatis, itineris, aut necessitatis casu, posthac utetur; amissione vestium, & decem librarum poena pro qualibet vice puniatur. Simili quoque poena eos puniri volumus, qui anulos aureos, vel argenteos deferunt; illis exceptis, qui ratione dignitatis Doctoratus, vel alterius privilegii eodem deferre possunt.

*Canon sessionis XIV. Concil. Trident. ejusdem materia.*

Quia vero et si habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprie congruentes ordini semper deferre; ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus; ut propriam dignitatem, & honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint; si postea quam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini, ac dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint; per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & proventibus ipsorum beneficiorum; necnon si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per

privationem beneficiorum, & officiorum hujusmodi coerceri possint, & debeant, constitutionem Clementis quinti in concilio Viennensi editam, quæ incipit: *Quoniam* (a), innovando, & ampliando.

## CAPUT VII.

ANTONIUS Augustinus Archiepiscopus in synodo anni MDLXXVIII.

*Ludi omnes prohibentur beneficiatis, & in sacris ordinibus constitutis.*

CUM ex ludi vitio multiplicia mala oriri, & causari compertum sit; videlicet perjuriam, blasphemias, rixas, seditiones, homicidia, furta, quam plurimamque alia nefanda crimina; idque vitium omnes Christianos, & maxime clericos dedecet: omnino interdiximus omnibus in sacris ordinibus constitutis, seu beneficia ecclesiastica cujuscumque qualitatis obtinentibus, ludos omnes cartularum, & alearum, & pilæ; hortantes eos potius litteris, seu musicæ vacare, aliisque honestis occupationibus, quam in hoc turpi, & inhonesto vivendi genere tempus conterere, memores se de verbis otiosis, nedum de factis turpibus strictam rationem in supremo iudicio reddituros. Volumus tamen, ut cum musicæ vacabunt, non noctu vagantes, aut laicorum recreandorum gratia id peragant. Contrarium vero facientes, vel partem aliquam cum ludentibus habentes, poenam quinque librarum incurrant.

## TITULUS II.

DE COHABITATIONE CLERICORUM, ET MULIERUM.

## CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI.

*Constituti in sacris ordinibus, & beneficiatis fœminarum suspectarum cohabitationem vitent.*

PER multa generalia, provincialia, atque synodalia concilia vetant clericos sacris ordinibus initiatos cum suspectis mulieribus habitare; idcirco præsentī constitutione sancimus, cunctisque nostræ diocesis clericis in sacris ordinibus constitutis, vel beneficiatis, sub poenis in eisdem conciliis expressis, & sub poena quinque librarum præcipimus, & mandamus: ut in suis domibus aut servitio mulieres ætatis suspectæ non habeant, præter aviam, matrem, sororem amitam, materteram, vel alias non suspectas personas.

## CAPUT II.

IDEM.

*Sanctimonialium colloquia clericis prohibentur.*

Quia nullam excusationem pastor habet, si viderit lupos suas oves devorantes, & remedium adhibere neglexerit; cumque nulli majores lupi sint existimandi, quam qui sacras virgines suis machinationibus corrumpere, & a vero Dei cultu, & servitio avertere conantur; cœnobiorum igitur sanctimonialium profanos mores reformare cupientes, hac nostra constitutione sancimus, & cunctis nostræ diocesis clericis præcipue sacris ordinibus initiatis, & beneficia-

tis,

(a) *Clement. 2. eod. tit.*

tis, necnon laicis omnibus districtè præcipiendo mandamus: ut sanctimonialium monasteria minime ingrediantur, aut cum ipsis colloquutiones, seu colloquia habeant. Medici vero, reliquique dictarum domorum necessarii ministri, dummodo sint laudabilis, honestæ, & inculpatae vitæ; parentes etiam, & dictarum virginum fratres cum ipsis colloqui poterunt. Si quis autem presbyter ob missam celebrandam ecclesiam monasterii ingressus fuerit, ea peracta confestim egrediatur. Quicumque vero hanc nostram constitutionem ingrediendo violantes, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant. Colloquia vero monialium frequentantes arbitrio nostro puniantur.

*Quædam pars canonis Concilii Trident. incipient. Bonifacii octavi, sessionis XXV. de eadem materia.*

**I**ngredi autem intra septa monasterii sanctimonialium nemini liceat, cujuscumque generis, aut condicionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum licentiam Episcopus, vel superior debet in casibus necessariis, neque aliis ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hæctenus concessi, vel in posterum concedendi.

### CAPUT III.

IDEM Ferdinandus.

*Concubinarij clerici severe puniantur.*

**C**UM concubinitus flagitium apud Deum, & homines horrendum, atque execrandum existat; hac nostra constitutione cunctos nostræ diocesis clericos cujuscumque ordinis, condicionis, aut status existant, monemus; ut concubinas, quas publice, sive in domibus suis, sive in alienis habent, expellant, atque abiciant. Quod si intra tres dies, quorum primum pro primo termino, secundum pro secundo, tertium pro tertio, atque peremptorio termino assignamus; easdem concubinas non dimiserint, aut alias concubinarie vixerint, præter censuras, & pœnas in conciliis generalibus, provincialibus, atque synodalibus contra concubenarios promulgatas, in quas incidisse decernimus, & declaramus, pœnam viginti ducatorum sustineant, pauperibus, & piis locis erogandam.

*Canon sessionis XXV. Concil. Trident. ejusdem materiae.*

**Q**uam turpe, ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impuditiæ fordibus, immundoque concubinitu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque clericali militiæ dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem ministri ecclesiæ revocentur, populusque hinc magis discat eos revereri, quo illos vita honestiores cognoverit; prohibet sancta synodus quibuscumque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere,

aut cum his ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur. Quod si a superioribus moniti ab his se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum ipso facto sint privati: quæ fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia scœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint; non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius etiam uti sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur. Et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum his etiam verentur: tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles, & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, ac officiis in posterum reddantur; donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum his ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediatur, aut suspendatur. Supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta, procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros canones puniantur.

### CAPUT IV.

ANTONIUS Augustinus in synodo diocœcesana anni MDLXXVIII.

*Presbyteri concubinarij celebrare non permittantur.*

**A**D obviandum scandalis, quæ de facili oriri possent, si clerici concubinarij, aut de concubinitu suspecti, ad celebrandum admitterentur: nostra hac constitutione sancimus, ac prohibemus Rectoribus & eorum loca tenentibus; ne permittant clericos concubenarios, & sacerdotes de concubinitu suspectos, si qui forte reperiantur in ecclesiis suis, ullo pacto missas celebrare. Tales enim celebrant in animarum suarum damnationem, & præjudicium animarum illorum, qui scientes faciunt, & patiuntur eos celebrare. Si quis vero eos in suis ecclesiis admiserit, pœnam decem librarum incurrat. Quod si in executione hujus constitutionis difficultas oriatur propter potentiam, vel proterviam supradictorum concubinatorum, consulatur prius Vicarius noster generalis, qui adjuvet executionem, vel reos puniat.

TITULUS III.  
DE FILIIS PRESBYTERORUM.  
CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus ubi supra.

*Filii presbyterorum non inserviant ministerio altaris in ecclesia, in qua pater celebrat, vel est beneficiatus.*

CUM valde indecorum sit, & scandalosum; ut meretricis filius impudico patri, in paternæ incontinentiæ testimonium, in altaris officio ministret, in quo Dei, & Virginis unigenitus pro humani generis salute æterno Patri offertur immolatus: statuimus sacrorum canonum vestigiis insistentes, ut tales illegitime nati, nequaquam patri, neque cuiquam alteri presbytero in ecclesia, in qua pater sacerdos, vel beneficiatus est, in altari ministrari permittantur: nec eisdem audeant, vel præsumant parentes eorum in suis domibus sive sint filii, sive filiæ, retinere; sub pœna decem librarum.

TITULUS IV.  
NE CLERICI, VEL BENEFICIATI  
SÆCULARIBUS NEGOTIIS SE  
IMMISCEANT.

CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Constituti in sacris secularia negotia non tractent, nec redditus etiam ecclesiasticos conducant.*

CUM secundum Apostolum, nemo militans Deo negotiis secularibus se debeat implicare; clericique pura, libera, ac quieta mente Creatori nostro tepeantur inservire, & ab omni illicita negotiatione cessare: præsentis constitutione statuimus, ut nullus clericus sacris ordinibus initiatus, aut beneficiatus mercaturam audeat exercere; nec conductiones aliquas, quæ vulgo dicuntur arrendamenta, quantumcumque rerum, etiam ecclesiasticarum, per se, vel per interpositam personam facere, vel accipere: neque frumentum, oleum, vinum, seu vindemiam, aut alios quoscumque terræ fructus; nisi ad sustentandam familiam suam emere. Si quis vero contra fecerit; pœnam decem ducatorum pro qualibet vice sustineat. Permittimus tamen presbyteris, ceterisque beneficiatis, si ad melius se sustentandum alicujus rectoriæ, vicariæ, vel alterius ecclesiastici beneficii fructus conducere voluerint, id efficere valeant; dum tamen per totum conductionis tempus per se ipsos eisdem rectoriæ, vicariæ, vel ecclesiastico beneficio deserviant; dummodo priori beneficio, quod prius obtinebant, non desint in omnibus, ad quæ tenentur.

CAPUT II.

IDEM.

*Sacris ordinibus initiati, vel beneficiati coram iudice laico testimonium ferre prohibentur.*

STATUIMUS insuper, & ordinamus; ut nullus clericus sacris ordinibus initiatus audeat in profano foro coram iudicibus secularibus sine nostro, vel Vicarii nostri generalis permissu, testis esse, vel testimonium ferre. Si quis autem contra fecerit, pœnam decem librarum incurrat.

CAPUT III.

IDEM.

*Sacris ordinibus initiati, & beneficiati tabellionatus officium, vel procuratoris exercere non possunt coram iudicibus secularibus nec esse advocati.*

ITEM statuimus, & juxta Tarraconense provinciale concilium ordinamus: ut nullus clericus sacris ordinibus initiatus, aut beneficiatus audeat in profanis rebus, & coram iudice seculari advocati, tabellionis, vel procuratoris officium, nisi in casibus a jure permissis exercere. Qui non paruerint, decem ducatorum pœna plestantur: quorum dimidia pars hospitali præsentis civitatis, altera vero dimidia reparationi domorum Archiepiscopalium applicetur.

CAPUT IV.

IDEM.

*Clerici in sacris ordinibus constituti tutores, & curatores esse prohibentur.*

QUIA multi clerici in sacris ordinibus constituti, seu beneficiati non dubitant testamentarias, sive dativas tutelas, & curas diversarum personarum suscipere, profanasque laicorum curias tam agendo, quam defendendo frequentare hac nostra constitutione sancimus; ut nullus ex supradictis similia, sine nostra, vel nostri Vicarii generalis licentia, sub pœna quinque librarum ipso facto incurrenda, attentare, & acceptare præsumat.

CAPUT V.

IDEM.

*Clerici in sacris ordinibus constituti, & beneficiati bannitos, & proscriptos in suis domibus non recipiant.*

AD notitiam nostram pervenit, quod per multi nostræ diocesis clerici sacris ordinibus initiati, & beneficiati homines proscriptos, bannitos, aut criminosos in propriis domibus recipiunt, occultant, ac protegunt: quo fit, ut non solum justitiæ executionem impediunt, verum etiam graviora crimina perpetrandi illis ansam præbent. Volentes igitur indemnitati reipublicæ consulere, & nostram diocesim malis hominibus purgare: sancimus, & sub pœna viginti quinque librarum præcipimus, & mandamus; ut nullus ex supradictis cujuscumque gradus, aut conditionis existat, prædicta facere præsumat.

CAPUT VI.

IDEM.

*Clerici in sacris constituti, & beneficiati cauponas vinarias non visitent; nec eas, nec mulas ad locandum habeant.*

UT nonnullorum clericorum depravatam consuetudinem prorsus extirpemus; eorum inquam, qui cauponas vinarias, die, nocteque frequentant; seu tabernariorum officium exercent, vinum ad mensuram etiam propriis manibus quandoque vendendo; mulasque & alia jumenta nonnumquam ad locandum tenendo; hac synodali constitutione sancimus, ut nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, vel beneficiatus, nisi iter faciens cauponas frequentet, aut in eis comoretur; nec alia desuper contenta exercent, sub



sub pœna decem librarum ipso facto incurrenda, & amissionis mularum, & aliorum jumentorum, quas, vel quæ ad prædictas negotiationes exercendas habuerit.

TITULUS V.  
DE CLERICO VENATORE.

CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Venatio quomodo clericis interdicitur.*

**Q**UORUNDAM clericorum excessus reprimentes, qui relictis divinis officiis, dum deberent orationibus vacare, se totos venationibus, & aucupis præbere non verentur: hac nostra constitutione sancimus; ut nullus beneficiatus, aut clericus in sacris ordinibus constitutus diebus Dominicis, aut festivis, sed neque in aliis quibuscumque diebus bis in hebdomade venationem exercere audeant. Qui vero contra fecerint, pœna quinque librarum puniantur.

TITULUS VI.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes ubi supra.

*Beneficiati venientes ad residendum, ad distributiones quotidianas, & ad cetera emolumenta admittantur.*

**I**N nonnullis ecclesiis nostræ diœcesis consuetudo inolevit, ut beneficiati, qui certis anni temporibus ac festivitatibus in eisdem ecclesiis præsentibus non fuerint, ad distributiones quotidianas, anniversaria, ac cetera ecclesiæ emolumenta postea nullatenus admittantur: unde & divinus cultus deminuitur, & ipsorum beneficiorum fundationi non mediocriter derogatur. Idcirco præsentis constitutione sancimus: ut posthac quocumque tempore beneficiati ad residendum venerint, ad distributiones quotidianas, anniversaria, ac cetera emolumenta percipienda a die sui adventus admittantur, consuetudinibus, statutis, vel ordinationibus quibuscumque non obstantibus. Adiicientes, & declarantes, beneficiatis deberi quotidianas distributiones de jure, etiam si non sint presbyteri, vel in sacris ordinibus constituti.

CAPUT II.

IDEM.

*Beneficiati ecclesiarum in festis sollempnibus & aliis diebus quibus Missa decantatur cum diacono, & subdiacono, juvent Rectores modo infra scripto.*

**C**ONQUERUNTUR Rectores, & alii ecclesiarum curati, quod in Dominicis, & aliis sollempnibus festis, tam in Missis conventualibus, quam in aliis divinis officiis, eos non adjuvant earundem ecclesiarum beneficiati; quia cum nullas forte distributiones in suis ecclesiis habeant, prædictis divinis officiis decantandis interesse nolunt: ex quo non modicum ecclesiis inferitur damnum & grave in populis generatur scandalum. Hujusmodi igitur abusibus medelam adhibere cupientes attendentes beneficia ecclesiastica ideo fundata esse; ut divinus cultus augeatur, ac divina officia in illis ecclesiis majori sollempnitate celebrentur, ac decantentur: hac nostra constitutione san-

cimus, atque mandamus; ut deinceps cunctis Dominicis, & aliis sollempnibus festis, ac quibuscumque diebus quibus Missam cum diacono, vel subdiacono celebrari consuetum est, vel expedit, quilibet beneficiatus in ecclesia parochiali, in qua beneficium obtinet, divinis officiis, præcipue Missis conventualibus, quæ in eadem celebrantur ecclesia, intersit; & suo ordine eorum quilibet per septimanas, unus Evangelium, alter Epistolam cantet; & sic unusquisque suum Rectorem, atque curatum adjuvet. Quod si Rector socium, seu Vicarium habuerit, partem laboris in sua etiam septimana Vicarius sustineat. Qui autem prædictis Dominicis, atque sollempnibus festis divinis officiis minime interfuerint, & suam hebdomadam implere recusaverint; emolumentis illius hebdomadæ priventur; atque etiam nostro arbitrio, tamquam negligentes in suo officio, malumque exemplum populo dantes, puniantur. Quæ habere locum nolumus in illis ecclesiis, in quibus ad decantandum Evangelium, & Epistolam certis diebus sunt certa officia diaconatus, & subdiaconatus jam creata, & deputata, vel in futurum creabuntur, & deputabuntur; ut in ecclesiis cathedralibus contingere solet.

CAPUT III.

ANTONIUS Augustinus in synodo diœcesana anni  
MDLXXVIII.

*Beneficiati in ecclesiis suorum beneficiorum residentes adjuvent Rectores in confessionibus audiendis, si habiles, & idonei fuerint.*

**P**RÆSENTI constitutione sancimus; ut qui in ecclesiis parochialibus beneficia quæcumque etiam simplicia, & quibus alioqui nulla incumbit animarum cura, obtinent, quorum ratione in eisdem ecclesiis servire tenentur, & qui eorum loco serviunt, tempore Quadragesimæ, & Adventus, & in quattuor festis sollempnibus, & aliis temporibus, & diebus, quibus plebs ad indulgentias exhibite forme consequendas confiteri peccata debet, vel solet; teneantur omnino, sub pœna peccati mortalis, & aliis arbitrio nostro injungendis ipsos presbyteros parochiales in audiendis confessionibus subditorum coadiuvare, si habiles ad id & idonei fuerint, obtenta prius in scriptis licentia a nobis, vel nostro Vicario generali, aut Officiali generali.

CAPUT IV.

IDEM.

*Rectores curent, ne debita servitia beneficiis suarum ecclesiarum præstentur.*

**C**URENT Rectores, Vicarii perpetui, alique quicumque curati; ut ii, qui in ecclesiis eorum beneficia simplicia obtinent, ex ordinatione fundatoris, vel ecclesiæ, seu consuetudine, vel alias residentiam requirentia, in eisdem resideant, debitaque servitia, & onera suis beneficiis præstent, & exhibeant: ne cultus divinus in dictis ecclesiis minuat, ac redditus, proventus & emolumenta dictorum beneficiorum ob absentiam beneficiatorum in dies depereant; eosdem monendo, & comminando; quod si prædictos in dicta residentia negligentes viderint, nos seu nostrum Vicarium generalem de prædictis certiores

red-

reddent, ut valeamus tantis malis medelam congruam adhibere.

## CAPUT V.

IDEM.

*Rectores, & alii quicumque curati continuam faciant residentiam in suis parochiis.*

**C**UM præcepto divino, ut in Tridentina (a) synodo dicitur, mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro illis sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pacificare; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, ac aliis muneribus pastoralibus incumbere; quæ omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: eos monemus, & hortamur; ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio, & veritate pascant, & regant. Monemusque omnes, & quoscumque ecclesias, aut beneficia ecclesiastica curam habentia obtinentes; ut cum obligati sint ad personalem in suis ecclesiis, aut beneficiis residentiam; statim ad suas ecclesias, & beneficia se conferant, in eisque vel in earum parochiis resideant, & ibi inuncto sibi officio defungantur; nec ab eis absint sine licentia nostra, aut Vicarii nostri generalis. Quod si Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, aut evidens ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas eos pro aliquo temporis spatio ab ecclesiis suis nonnumquam abesse postulent: tunc causa per nos cognita, ac probata; & Vicario idoneo in dicta parochia relicto, discedendi licentia eisdem, si videbitur, concedetur. Si quis vero contra hujus decreti dispositionem abfuerit, præter alias pœnas a jure statutas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, sciat se, juxta ejusdem sacri Concilii Tridentini decretum, pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia, etiam alia declaratione non secuta, illos detinere posse, sed aut per nos, vel Officialem nostrum cogetur illos fabricæ ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare. Crescente tamen contumacia, contra eos procedemus juxta juris communis, & dicti Concilii dispositionem.

## TITULUS VII.

## DE RECTORIBUS, ET ALIIS CURATIS, ET EORUM OFFICIO.

## CAPUT I.

**F**ERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI. *Prohibentur parochi, & quibus incumbit animarum cura, cum laicis, aut in eorum domibus habitare: & quæ ad eorum officium pertinent, magna diligentia adimplere exhortantur.*

**I**Nolevit in multis nostræ diœcesis parochiis abusus; ut earum Rectores, Curati, & Vicarii, ceterique curam animarum gerentes, propriis ædibus, quas vulgo dicimus Abbatias, omissis, cum laicis, aut in laicorum domibus cohabitent; quo fit, ut plebes ipsis commissæ salutaribus elo-

quiis, ac monitionibus defraudentur. Et quod graviter ferendum est, complures mortis periculo laborantes, sine confessione, ceterorumque Ecclesiæ sacramentorum perceptione, nonnullique etiam parvuli sine sacro baptisate decedant. Hunc igitur abusum penitus avellere cupientes, præsentis constitutione sancimus, cunctisque hujus nostræ diœcesis Rectoribus, ac curam animarum regentibus injungimus, sub pœna viginti librarum, ne in posterum cum laicis cohabitent, neve proprias ædes omittant; sed eas, vel alias templis propinquas, si propriis caruerint, incolere, & inhabitare teneantur; ut omnibus, qui eorum ministerio eguerint, præsto esse possint, & Ecclesiæ sacramenta commodius ministrare. Eisdemque etiam præcipimus, ut quotiescumque requisiti fuerint, nisi legitime fuerint impediti, prompto, & alacri animo eant ad exhibenda infirmis sacramenta; quæ cum ea, qua decet, reverentia exhibeant; & postquam exhibuerint, infirmos sæpius visitent, eosque hortentur ad ferendas patienter corporis infirmitates, ut spiritus salvus fiat: & ad recte de suis bonis disponendum, & pro peccatis satisfaciendum. Ad hanc autem propriarum ædium inhabitationem beneficiis quibusvis annexarum, quoscumque etiam beneficiatos teneri, & obnoxios esse volumus. Rectores præterea, & beneficiatos prædictos ad reficiendas suorum beneficiarum ædes, si fuerint ruinosa, teneri, & obligatos esse, hac nostra constitutione sancimus, & declaramus.

## CAPUT II.

IDEM.

*Admissus ad alterius parochiam regendam, quomodo, & quamdiu poterit alteri eandem curam committere.*

**S**I quando a nobis, aut Vicario nostro generali ad regendam alterius parochiam, Rectore præsentis, aut propter justam proprii pastoris absentiam, fuerit aliquis admissus; præcipimus, ut non ipse ejusdem parochiæ regimen alteri committat, nisi propter infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum. Substitutus tamen, seu subrogatus sine licentia, octo dies tantum hujusmodi curam sibi commissam regat. Et si non paruerint, tam commendans, quam commendatarius pœnam decem librarum incurrant.

## CAPUT III.

IDEM.

*Et si Parochus habuerit Vicarium, tamen a sua parochia sine Prælati licentia non discedat.*

**Q**uia nonnulli Rectores, ac Vicarii perpetui postquam facultatem obtinuerunt a nobis aut a nostro Vicario generali, ut sibi socius ad animarum curam simul regendam tribuatur, a sua parochia discedunt, ac per diversa loca vagantur: ea propter hac synodo approbante sancimus, & sub pœna decem librarum piis locis erogandarum vetamus; ne posthac ipsi Rectores, ceterique curam animarum gerentes a suis parochiis, sine nostra licentia, & ex juxta, ac legitima causa per nos examinanda discedant; nisi in casu necessitatis, & tunc per spatium tantum sex dierum, ac relicto prius in sua parochia presby-

[a] Session. 23. cap. 1.

sbytero aliquo ad confessiones audiendum, a nobis, seu nostro Vicario generali approbato.

## CAPUT IV.

IDEM.

*Parochi quattuor libros habeant; & quid in quolibet eorum scribere debeant.*

**U**T ecclesiarum regimini, & publicæ fidelium utilitati prospiciatur, hac synodo approbante sancimus, ut in singulis ecclesiis curatis Parochus, seu quisvis alius animarum curam regens, sub pœna decem librarum, quattuor libros habeat; in quorum primo nomina baptizatorum, eorumque parentum, & patrinatorum, cum infertione diei, mensis, & anni describantur. In secundo libro eorum nomina complestantur, qui peccata sua eo anno confessi fuerint, & Eucharistiæ sacramentum sumpserint; & eorum, qui non sunt confessi. Tertius vero liber nomina contrahentium matrimonium, ac testium, cum infertione diei, mensis, & anni contineat. In quarto denique libro morientium, ac defunctorum nomina, cum simili diei, mensis, & anni expressione describantur, & nomen notarii rogati de eorum testamentis; aut si ab intestato decesserint, id ipsum significetur: in eodemque libro legata, quæ piis locis fuerint relicta, saltem in genere adnotentur. Hunc vero librum singulis annis ipse Parochus, aut curam animarum regens, sub pœna eadem, in mense Majo piarum causarum auditori, qui pro tempore fuerit, transmittere teneatur; ut is cognoscere possit, an pia legata defunctorum fuerint adimpleta. Quia vero Vicarii conductitii recedentes hos libros nonnumquam secum asportare, & auferre solent; mandamus ecclesiarum rectoribus, & Vicariis perpetuis: ut hujusmodi libros ipsi diligentissime custodiant, artissimam reddituri rationem, & gravissimas pœnas pro qualitate negotii passuri, si prædicti libri deperdantur.

## CAPUT V.

IDEM.

*Curati vicinos morti ad pie moriendum diligenter hortentur: rixasq. & dissidia componant.*

**C**UM his, qui curam animarum sustinent, ex munere incumbat, eos, qui morti proximi sunt, sanctis monitionibus ad bene moriendum hortari; hac synodo approbante sancimus, & curatis omnibus præcipimus; ut id ipsum catholice, pie, diligenter, & gratis exequantur: reliquos vero sacerdotes, ut Parochos ipsos in tam pio, tamquam laudabili munere, & exercitio adjuvent, monemus, eosdem etiam curatos hortando, ut dissidia, & rixas suorum parochianorum componant, & pauperum rationem habeant; eosque, quos publicos esse peccatores noverint, juxta Evangelii dictum secrete moneant, & corrigant; & si viderint dictam monitionem non profuisse, nobis, seu Vicario nostro generali denuntient.

## CAPUT VI.

IDEM.

*Quæ debeat Parochus singulis Dominicis diebus populum docere.*

**C**UM magna laicis, præsertim rusticis, ignorantia vigeat, & quid credendum, quidve

agendum sit, ignorent; cumque ad Rectorem, Vicarium, sive Curatum spectet, populum sibi commissum instruere, & quid facere debeat ad æternam vitam consequendam, docere: hac synodo approbante sancimus, cunctisque hujus nostræ diœcesis curatis, sub pœna decem librarum, præcipimus; ut quilibet in sua parochia Dominicis diebus decantato symbolo majori, antequam manus lavet, ad populum convertens, sigillatim, & cum aliquo intervallo, taliter, quod populus ea discere, & memoriæ commendare possit, parochianos hortetur, & moneat; ut juxta sanctæ matris Ecclesiæ instituta, postquam ad annos discretionis pervenerint, nisi legitime impediti fuerint, singulis Dominicis, ac festivis diebus ad audiendam missam conventualem libenter accedant; ibique processionibus, ac cæteris sollempnitatibus intersint; prædicationem verbi Dei, & totam missam debita cum veneratione, ac cordis contritione reverenter audiant. Curati quoque parochianis festorum, ac jejuniorum dies in illa hebdomadæ occurrentes denuntient: eisdemque vernaculo sermone decem præcepta decalogi, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & symbolum Apostolorum, articulosque fidei in eo contentos clare, & distincte recitabuntur, denique dicta confessione generali, populo benedicant, & absolvant.

*Canon Concil. Trident. Session. XXIV.*

*de eadem materia.*

**U**T fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentiâ, atque animi devotione accedat; præcipit sancta synodus Episcopis omnibus; ut non solum cum hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, & usum pro suscipientium captu explicent; sed etiam idem a singulis Parochis pie, prudenterque etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentis præscribendam, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, & a Parochis omnibus populo exponi curabunt: nec non ut inter missarum sollempnia, aut divinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festivis, vel sollempnibus explanent: eademque in omnium cordibus postpositis inutilibus quæstionibus inferere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

## CAPUT VII.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

*Rectores, & Curati piis operibus invigilent.*

**C**urati, & Parochi egenos, & pauperes in suis parochiis commorantes sollicitè, ac diligenter perverstigent, præsertim orphanos, viduas, & puellas, quarum pudicitia, & egestati periculum imminet; eosque etiam, qui ægrotant, vel mendicare erubescunt, quorum tum animabus, tum corporibus quocumque possunt subsidii genere, pie, studioseque subveniant. Ac si eorum gravior inopia deposcit, ad illam sublevandam, festis etiam diebus, a pia fidelium liberalitate aliquid in ecclesiis colligendum curent; quod in

eo-

eorum eleemosynam conferatur. Inquirentes nihilominus diligenter de vita, moribus, ac virtute dictorum mendicorum. Locupletes quoque parochiæ incolas seorsum conveniant, quibus pauperum egestates proponant, atque significant: in hoc eis a Deo esse tributas, ut pauperibus subveniant, quos victu necessario egentes, nisi paverint, occidunt. Sciant etiam Parochi, se ad hujusmodi necessitatibus subveniendum, non tantum verbis, sed quod maximam vim ad persuadendum habet, suo etiam exemplo teneri, large scilicet, & hilariter pro reddituum, & facultatum suarum ratione, hospitalitatem exercendo, & eleemosynas, & alia charitatis opera præ ceteris omnibus in egenos conferendo.

## CAPUT VIII.

IDEM.

*Rectores præcipiant in choro, quæ ab unoquoque decantanda, vel legenda sint.*

CUM in Ecclesia militante nihil inordinatum esse expediant; ecclesiarumque ordo, si unicuique sua jurisdictio non fervetur, de facili confundatur: hac nostra constitutione ad jurgia, seu dissensiones, quæ in dies oriebantur, vitandas, statuimus, & ordinamus; ut in ecclesiis parochialibus quocumque nomine, sive prioratus, sive plebanatus nuncupentur, illis, quibus decet, ordine, tranquillitate, & pace divina officia fiant: Rector, vel eo absente, illius Vicarius lecto prius, ac regulato a se officio illius diei, vel horæ, quando vel missa, vel alia quæcumque officia divina celebranda erunt, jus, & auctoritatem habeat designandi horas, modumque, formam, & ordinem, quibus dicta officia divina celebrari, & decantari convenit; nec non præcipiendi, & mandandi presbyteris, & beneficiatis in eadem ecclesia residentibus, ut unus præcinat Antiphonas, alius Hymnos, & Psalmos, aliusque Responsoria, seu Versiculos canter, vel Lectiones occurrentes legat; & ut alii capas cum bordonibus accipiant; vel alia similia faciant, ut melius videbitur expedire: inobedientes vero distributionibus chori juxta qualitatem pœnæ privent. Prohibemus etiam, ne de hujusmodi punitioe, quæ nostra auctoritate, & commissione fit, communitates illarum ecclesiarum se intromittant, sub pœna viginti librarum ipso facto per contravenientes incurrenda, consuetudine quacumque in contrarium faciente non obstante.

## CAPUT IX.

IDEM.

*Rectores visitent oratoria domorum privatarum.*

PRæterea etiam statuimus, & ordinamus; ut Rectores, & alii quicumque curati, quoties intelligent oratoria aliqua in domibus aliquorum parochianorum suorum constructa esse, illa semel, vel sæpius unoquoque anno visitare curent, ac examinare; an quibus decet, honore, & reverentia tractentur. Quod si forsan imagines aliquas inhonestas, vel alia indecentia, seu turpia in eisdem invenerint, corrigant, & emendent; & nos, seu nostrum Vicarium generalem in virtute sanctæ obedientiæ certiores reddant. Missas autem

in eis celebrari nullo modo permittant sine nostra licentia in scriptis obtenta.

TITULUS VIII.  
DE PRÆBENDIS, ET DIGNITATIBUS,  
ET ALIIS BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,  
ET DE OBTINENTIBUS EADEM.

## CAPUT I.

ANTONIUS August. in synodo an. MDLXXVIII. *Possessio beneficiorum non tradatur alicui, antequam Ordinarius litteras sine fraude impetratas esse intellexerit.*

CUM aliquando accidat, litteris subrepticie impetratis, & iis etiam qualitibus, quas concilium Tridentinum, & fundationes, seu institutiones beneficiorum in beneficiatis requirunt, aliquando dolose prætermittis, & simulatis, aliquos ad dignitatum, canonicatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, sive curatorum, sive supplicium possessionem indebite admitti: statuimus, & ordinamus; ne in posterum in ecclesiis hujus nostræ diocesis possessio alicujus beneficii ecclesiastici, quocumque nomine nuncupetur, vigore quarumcumque litterarum, & gratiarum, per quemcumque presbyterum hujus nostræ diocesis alicui tradatur; nisi nobis, seu nostro Vicario generali prius litteræ dictæ provisionis præsentatæ fuerint, & prævio examine probatæ. Qui vero contrarium fecerit, pœnam decem librarum incurrat.

## CAPUT II.

IDEM.

*Professio fidei a quibusdam, & intra quod tempus sit facienda.*

STATUIMUS insuper, & ordinamus; ut obtinentes in ecclesia cathedrali, & aliis quibuscumque hujus nostræ diocesis dignitates, canonicatus, vel beneficia curam animarum habentia, intra duos menses a die adeptæ possessionis computandos, in manibus nostris, aut nostri Vicarii generalis orthodoxæ fidei professionem publicam juxta decreta sacri concilii Tridentini faciant, & se in Romanæ Ecclesiæ obedientia permanuros spondeant, ac jurent: alioquin provisi fructus beneficii de novo adepti suos non faciant, nec possessio adepta illis in aliquo suffragetur.

## CAPUT III.

IDEM.

*Obtinentes beneficia plura incompatibilia, dispensationes infra mensem ostendant.*

PRæterea etiam, ut cæcitati, & cupiditati nonnullorum clericorum, seu presbyterorum obviamus: hac nostra constitutione decretis, & ordinationibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ adherentes, præcipimus, & ordinamus; ut obtinentes plura beneficia curata, aut alia quæcumque incompatibilia, vel unita a quadraginta annis retro, uniones, & dispensationes suas intra spatium unius mensis nobis, vel nostris Officialibus exhibeant. Quod si forte, justo impedimento cessante, nullam unionem, seu dispensationem infra dictum tempus exhibuerint, prædicta beneficia, tamquam vacantia, ab eis, ad quos pertinet, personis idoneis conferantur.

CA-

## CAPUT IV.

IDEM.

*Missæ, & alia divina officia, vel exercitia celebrantur, & fiant iuxta suas obligationes.*

**M**onemus insuper omnes, & singulos sacerdotes sæculares, vel regulares, beneficia, capellas, seu ecclesias, altaria, seu legata quæcumque pia obtinentes, qui missas certis diebus, & temporibus tam pro vivis, quam pro defunctis celebrare tenentur, ut de cetero perpetuis futuris temporibus dictas missas, vel alia quæcumque exercitia pia eisdem suis legatis, capellis, ecclesiis, altaribus, vel beneficiis a jure, vel ab homine taxatas, deputatas, & assignatas, inviolabiliter, & sine intermissione, & fraude aliqua per se ipsos, seu per alios idoneos per nos approbandos celebrare, & adimplere curent, & studeant; vel faciant adimpleri, suis debitis modis, locis, & temporibus sub pœna decem librarum, & alia arbitrio nostro injungenda. Rectoribus etiam parochialium ecclesiarum, in quibus dicta beneficia instituta fuerint, vel legata relicta, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus; ut prædictas obligationes beneficiorum, seu legatorum, ab eis, quos negotium tangit, adimpleri curent, & de negligentia illorum nos certiores reddant.

## TITULUS IX.

DE EREMITIS.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus ubi supra.

*Nullus induat se habitu eremite, sine licentia Ordinarii.*

**Q**uia non decet homines perversæ, ac reprobæ conditionis habitu ecclesiasticarum personarum, vel eremitarum indui: ideo nonnullorum temeritati, seu audaciæ obviare volentes, hac constitutione sancimus, & Rectoribus, seu aliis quibuscumque curatis nostræ diœcesis, sub pœna decem librarum præcipimus; ne permittant aliquem hominem habitu eremitico indutum in suis parochiis degere, seu vivere; quin prius sibi constet, præfatum eremitam de licentia nostra, seu nostri Vicarii generalis in scriptis obtenta, dicto habitu se induisse; aut ut intra diœcesin sic indutus degat, licentiam obtinuisse. Insuper etiam eisdem eremitis injungimus, & præcipimus; ut illis Rectoribus, in quorum parochiis vivunt, sint subditi, & subditi; eorumque mandatis, & præceptis, ut alii parochiani ejusdem parochiæ obtemperant: sub pœna arbitrio nostro illis injungenda.

## TITULUS X.

DE PEREGRINIS, ET VAGABUNDIS.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anno

MDLXXVIII.

*Homines extranei, & incogniti non permittantur habitare in parochiis hujus diœcesis.*

**C**urent, & solliciti sint Rectores, & alii ecclesiarum præfides, seu curati in indagando & providendo; ne homines peregrini, extranei, & incogniti, qui una cum mulieribus sibi associatis mundum perquirere, ac discurrere solent,

Tom. III.

in suis parochiis moram, seu habitationem faciant; quin prius coram eodem curato, vel instrumento authentico, ac fidei ubique faciente, vel testibus fide dignis, ac jurejurando ab eodem curato aut coram Ordinario examinatis, probaverint se in facie sanctæ matris Ecclesiæ matrimonium verbis præsentis temporis, servata forma Ecclesiæ contraxisse. Quod si prædicti curati in his negligentes fuerint, ultra peccatum mortale, quod tamquam inobedientes incurrunt, pœnam etiam decem librarum, & crescente contumacia, sive negligentia, alias graviores arbitrio nostro injungendas, patientur. Quod si post monitionem curatorum emendatio non sequatur; curatus nos, vel Vicarios generales faciant omnium plene certiores, ut rei necessitati aptius provideri possit.

## TITULUS XI.

DE QUÆSTORIBUS, ET ALIIS IN ECCLESIIS, VEL PAROCHIIS MENDICANTIBUS, AUT STIPEM COLLIGENTIBUS.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus ubi supra.

*Quid faciendum sit de eleemosynis, sive de stipe.*

**C**UM non deceat eleemosynas, quas Christi fideles certo nomine largiuntur, in alios usus convertere: hac synodo approbante sancimus, & ordinamus; ut posthac is, qui in ecclesiis pro animabus purgatorii eleemosynas colliget, singulis Dominicis diebus post missarum sollempnia, omnes eleemosynas, quas collegerit in ea hebdomade, seu die, una cum bursario, Rectore, seu Vicario ecclesiæ, vel alia persona ad hoc constituta, computare, & in libro ad hoc deputato describere teneatur. Et pecunias hujusmodi sic collectas, numeratas, atque descriptas, in quadam arca ad custodiendum eleemosynas, & emolumenta omnium quacumque ex causa eleemosynas petentium confecta, & in qualibet ecclesia deputat, vel per Rectorem, & Juratos, seu universitatem deputanda, & designanda, duabus clavibus clausa deponant. Quarum clavium unam ipse Rector, seu Vicarius; alteram vero qui colliget eleemosynas animarum, habeat. Singulis autem mensibus ambo simul scilicet Rector, vel Vicarius, & dictus collector, pecunias pro animabus collectas extrahant, & communi consilio, videlicet dicti curati, & collectoris in celebrationes anniversariorum, absolutionum, ac missarum pro fidelibus defunctis in eadem ecclesia, & non in alia sine licentia Prælati, dicendarum, distribuunt. Quod si secus per dictum collectorem eleemosynarum animarum, qui pro tempore erit, factum fuerit, sententia excommunicationis prelatatur, & a divinis repellatur. Collectores vero aliarum eleemosynarum, qui in eadem ecclesia fuerint, volumus teneri tantum ad deponendum quolibet die id, quod collegerint, in eadem arca, & ad illud in suo libro per Rectorem describendum, ultimo die Dominico cujuslibet mensis, sub eadem pœna excommunicationis. Distributionem autem eorum, quæ ab aliis colliguntur, faciant Rector, seu ejus Vicarius, una cum Juratis, seu aliis hominibus illius universitatis,

Z z z

aut

aut confraternitatis, ad quos dicta distributio, juxta loci ordinationem, seu consuetudinem, aut alias pertinebit. Addentes etiam omnibus supradictis, ut omnes dicti collectores eleemosynarum teneantur ad hæc duo, scilicet, quod in principio sui ingressus teneantur præstare juramentum de bene, & fideliter se habendo in dicta collectione, in manibus Rectoris, seu ejus Vicarii: & quod in fine anni teneantur reddere rationem collectori ejusdem eleemosynæ de novo ingredienti in præsentia dicti Rectoris, seu Vicarii, & personarum ab universitate, vel confraternitate deputandarum, & in arca deponere, seu successori in officio, & collectione dare, & tradere (qui etiam eas pecunias eadem die, qua eas acceperit, in arca deponat) omnes illas pecunias, ad quarum restitutionem ex administratione dictæ causæ piæ tenebitur. Ad quæ duo ultimo loco proposita volumus etiam teneri, & coactos esse sub eadem pœna excommunicationis omnes administratores, & procuratores confraternitatum eleemosynarum, & aliarum quarumcumque piarum causarum, quocumque nomine nuncupentur, etiam si administratores, seu collectores dictarum piarum causarum mulieres essent, ut in pluribus locis contingere solet.

*Canon sessionis vigesima secunda Concilii Tridentini super eadem materia.*

**A**dministratores tam ecclesiastici, quam laici, fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, &

privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis; nisi secus forte in ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, vel privilegio, aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset; tunc cum his adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

#### CAPUT II.

IDEM Ant. August. Archiepisc. ubi supra.

*Ne petantur eleemosynæ intra ecclesias, dum missa conventualis decantatur.*

**E**OS, qui missæ sacrum audiunt, oportet magna animi quiete rebus divinis intentos esse, & a nullis perturbari; quominus tranquilla mente sacra illa mysteria, quæ in missa peraguntur, contemplari possint. Volentes igitur nos rei tam sacræ, & tanti ponderis, & momenti impedimenta omnino arcere, & remove; præsentis constitutione fancimus, & quibuscumque Christi fidelibus prohibemus; ne dum res sacra agitur, sive ipsi collectores sint eleemosynarum, sive quæstores, sive pauperes mendicantes, intra templa, dum missa conventualis decantatur, eleemosynas petere, seu colligere audeant: sed ad januas tantum templi dictas eleemosynas petere teneantur; non obstantibus consuetudinibus cujuscumque ecclesiæ in contrarium facientibus. Rectores vero, qui similia fieri in suis ecclesiis permittant, pœna trium librarum plectantur. Non tamen inhibemus, ut post Offertorium liceat Parocho, vel Vicario, si eis videatur, permittere, ut aliquis pro paupere præsentem, aut infirmo petat; modo ea petitio non perturbet missæ sacrificium.

## Pars Secunda.

### TITULUS I. DE SACRAMENTIS.

#### CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus Archiepiscopus in synodo anni MDLXXXI.

**S**eptem sacramenta a Jesu Christo domino nostro instituta, quibus ab Ecclesia docemur omnem gratiam ab ipso Redemptore nostro in ara crucis fidelibus adquisitam, diversa tamen ratione derivari; studeant omnes sacerdotes, præsertim Parochi, quanta possunt conscientiæ puritate ministrare: ne dum illis ad aliorum salutem utuntur, sibi ipsis æternam perniciem comparent: cum gravissimi facinoris non solum ille se reum faciat, qui mortali aliquo peccato inquinatus, ea suscipere; sed etiam qui simili reatu pollutus celebrare, vel ministrare non veretur. Quare etsi sola Eucharistiæ sumptio, aut celebratio Missæ præter contritionem internam peccatorum, etiam confessionem necessario requirat, ut est in Tridentino concilio declaratum; nemo tamen peccati mortalis conscius sacramentum ullum tractare debet, nisi præter contritio-

nem internam, quæ necessaria semper est, sacramentalem etiam confessionem ante illius administrationem, si commode potest, adhibuerit. Quod officium, ut omni studio, & opera nostra adjuvemus; præter ea, quæ ad salutem hanc rationem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ decreta constituerunt, quæ omnes parochi inviolate servare debent; nonnulla etiam ad tollenda incommoda, & abusus, quos in nostra hac dicecesi hominum culpa, vel negligentia in sacramentorum administratione introduxerat, statuenda duximus.

### TITULUS II. DE BAPTISMO, ET EJUS ADMINISTRATIONE.

#### PROŒMIUM.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

**C**UM sine baptismi sacramento, quo originalis, & actualis culpa diluitur, fomes mitigatur, gratia confertur, fides datur, ac Dei filii renascimur, nemini ad vitam æternam aditus pateat: proinde ut facilis, & omnino parata, ac qua-

qualis decet, sit ejus administratio; statuimus, & ordinavimus sequentia.

## CAPUT I.

IDEM.

*Curabunt parentes, ut filii sui ducantur ad sacrum baptismum: & presbyteri, seu beneficiarii patrini esse prohibentur.*

**P**arentum culpa, & negligentia sæpe infantes sine sacro baptismate moriuntur; idcirco præfenti constitutione sancimus, ac parvulorum parentibus sub pœna excommunicationis præcipimus; ut tam necessario sacramento filios non fraudent, sed saltem infra tres dies, postquam filii nati sibi fuerint, curent eos baptizari: ac nomina Sanctorum, vel Sanctarum, non Gentilium, vel Paganorum eidem imponi. Rectoribus etiam, ac Vicariis, sub decem librarum pœna jubemus; ne in aulis, cameris, aut privatis domibus extra ecclesiam, nisi necessitas expostulet, aliquos baptizent; sed in ecclesiis dumtaxat, ubi fontes baptismales ad id exequendum sunt deputati. Prohibentes etiam sub pœna quinque librarum omnibus presbyteris, & beneficiatis; ne in sacramento baptismi, vel confirmationis puerum, vel puellam teneant, vel patrini sint, nisi in casu necessitatis.

## CAPUT II.

*Ferdinandus Loazes in synodo anni MDLXVI. Adulti non baptizentur ante instructionem doctrinæ Christianæ.*

**Q**uia nonnunquam contra sacros canones adulti baptizantur sine prævia fidei instructione; volentes igitur hunc abusum e medio tollere, hac synodo approbante, cunctis Rectoribus, atque curatis, ceterisque etiam presbyteris sub decem librarum pœna præcipimus, atque mandamus: ut deinceps adultos non baptizent, quin prius illos per congruum tempus in fide sancta catholica instruxerint, aut instructos esse noverint, excepto mortis periculo: nec aliquos, vel aliquas ad tenendum puerum, vel puellam, in sacro fonte admittant, qui doctrinam Christianam ignorent; necessitatis casu excepto.

## CAPUT III.

IDEM.

*De baptizandis in casu necessitatis.*

**C**um plerumque evenire soleat, ut infantes ob infirmitatem, vel aliam necessitatem ad ecclesiam deferri non possint; & eo casu licitum sit eos alibi baptizari: præfenti constitutione sancimus; ut si talis infirmitas occurrerit, vocetur curatus, ut sine sollempnitate, baptismi sacramentum conferat. Si curatus haberi non potest, & ibi plures alii convenerint; a quolibet ipsorum parvulus baptizabitur: hoc tamen ordine servato, ut minor majori, clericus presbytero, laicus clerico, mulier viro cedant; nisi is ignoraverit formam baptismi: tunc enim a sciente formam parvulus poterit baptizari. Si postea convalescerit, ad ecclesiam portabitur: ac tunc si Rectori, vel curato constiterit, eum debite fuisse baptizatum, exorcismos, & Ecclesiæ caeremonias solummodo supplebit: si vero sciverit eum non fuisse rite baptizatum, aut de eo dubitaverit; poterit eum

in hunc modum baptizare: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

## CAPUT IV.

IDEM.

*Fontes baptismales quomodo tenendi sint: & de aqua benedicta.*

**P**ræterea statuimus, cunctisque Rectoribus, atque Curatis præcipimus; ut baptisterium, seu fontes baptismales mundos coopertorio coriaceo tectos, clavibusque clausos esse curent; & aquam baptismalem non in vitreis ampullis, sed in aliis vasibus condecensibus asservent. Fontes autem aquæ benedictæ, quæ vulgo dicuntur pilæ, in singulis sabbatis ad vesperam mudent, & in ipsis noviter aquam infundant; quæ eadem die, vel die Dominico sequenti, antequam populus ad divina conveniat, benedicatur. Vetus tamen aqua, quæ in ipsis erit, per ecclesiæ pavimentum non effundatur, ne pedibus conculcari possit; sed in aliquo ecclesiæ, vel cœmeterii angulo, aliove honesto loco, aut in piscina, vel cloaca sacrarii, vel baptisterii fundatur.

## CAPUT V.

*Petrus Archiep. in synodo anni MCCCCLVIII. Quid faciendum de capitibus, sive capidis, quæ in celebratione baptismi dantur, seu offeruntur.*

**S**tatuimus insuper, & perpetuo ordinamus; ut nullus laicus cujuscumque status, vel præminentia existat, capitia, sive capidas, quæ in ecclesiis offeruntur parochialibus tempore celebrationis baptismi, occupare, vel in usus profanos convertere præsumat; ut antea erat fieri solitum, & consuetum. Sed capidas ipsas, cum ad ecclesias pervenerint, recipiant Rectores, vel alii earundem ecclesiarum curati, & easdem in loco honesto conservantes, & non nisi in superpelliceis, cortinis, vestibus, vel aliis ornamentis ecclesiæ convertant; nec eas aliis, præsertim laicis in alios usus vendant. Qui vero contrarium fecerint, laicus excommunicationis sententia, curatus vero pro qualibet vice pœna trium librarum puniatur. Liceat tamen in usum baptismi alterius eadem capitia commodare, & ab sponte dantibus aliquid accipere in utilitatem ecclesiæ convertendum.

## TITULUS III.

## DE CONFIRMATIONE.

## CAPUT I.

*Antonius August. in synodo an. MDLXXVIII.*

**C**onfirmationis sacramentum magnum est, quo fideles per baptismum regenerati, ad fidem palam confitentem, nomen Christi glorificandum, adversusque omnes diaboli impetus robustiores evadunt: Parochi cura sit, ne quis intra parochiæ suæ fines habitet, qui hoc sacramentum non suscipiat major septennio, quo fere rationis usus apparere incipit; nec illud in longius tempus, quam par est, differat. Ne vero sacramentum hoc, cujus ea vis est, ut characterem imprimat, aliquando iterari contingat, neve etiam inter quos spiritualis cognatio ex concilii Tridentini decreto per illud contrahitur, matrimonia fiant, librum habeat, in quo confirmato-

rum, & compatrum nomina, diemque, & annum conscribat.

TITULUS IV.  
DE PŒNITENTIIS, ET  
REMISSIONIBUS.

CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXVIII.

*Adhortatio ad confessores.*

PŒnitentiæ sacramentum, quo omnes animarum languores sanantur, amissa gratia reparatur, vires debilitatæ instaurantur, oclusumque post baptismum lapsis cælorum regnum aperitur: quicumque sacerdotes, qui fidelium confessiones audiunt, quanta possunt diligentia ministrare studeant; ne tam necessarium sanandis animabus medicamentum imperite, vel imprudenter administratum non modo suscipientibus non profit, sed ipsis etiam ministrantibus perniciem afferat: juxta illud Evangelicum; *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.* Quare præter ea studia, quæ mutuis collationibus in suis quique clericalibus conventibus habere debent, aut in publicis lectionibus ad sacramenti hujus administrationem cognoscendam, omnes simul operam dent, & privatim librum aliquem quotidie legant ex his, qui ad hæc scripti sunt; ut hac ratione lepram a lepra discernentes, debitam satisfactionem, salutariaque consilia confitentibus adhibenda cognoscant; ne vel nimia severitate illos in desperationem inducant, vel nimia facilitate ad denuo peccandum alliciant.

CAPUT II.

IDEM.

*Quo ætatis tempore fideles peccata confiteri debeant.*

Laudat hæc nostra synodus illorum morem, qui septem, aut octo annorum pueros ad confessionem faciendam mittunt; ut eos tam salutari sacramento suscipiendo assuefaciant. Illis tamen, in quibus perfectus rationis usus vigere jam cœpit, quod a duodecimo ad decimum quartum annum solet accidere, præcipimus; ut tempore ab ecclesia definito peccata sua proprio sacerdoti, aut his, qui ab Ordinario designati erunt, confiteantur; & pro judicio, & sententia confessoris sacram etiam Eucharistiam recipiant.

CAPUT III.

IDEM.

*Confessores habentes facultatem absolvendi a peccatis, & censuris Ecclesiæ, non dispensent cum irregularibus.*

U<sup>T</sup> ignorantia, & simplicitati nonnullorum confessorum occurramus, & consulamus; præter constitutionem sancimus, & declaramus: ut si quis ex jubileo, seu alia summi Pontificis indulgentia, vel ex licentia Ordinarii potestatem habuerit absolvendi a peccatis, & censuris Ecclesiæ; vigore dictæ facultatis non debet, nec potest in irregularitate dispensare: nisi id expresse sit in auctoritate sibi data concessum, & expressum. Eisdemque sacerdotes monemus, ne cuiquam absolutionem sacramentalem impertiant, qui saltem veniale aliquod peccatum in confessione non

expresserit. Quare primæ ætatis pueris, quos vix rationis expertes, ita nullam culpam admisisse, certis interrogationibus cognoverit; nec absolutionem sacramentalem adhibebit: sed simpliciter dicat; *Misereatur tui* &c. ut in missa dicitur. Nec putet is, qui confessiones audit, satis se muneri suo fecisse, si pœnitentis conscientiam diligenti hoc examine discutiat; nisi illum etiam ad futuras peccatorum occasiones, salutaribus propositis remediis præmuniat, atque ad pietatis Christianæ studia, quanta potest diligentia, promoveat; canonesque pœnitentiales in promptu habeat, ut de veterum canonum severitate pœnitens ab eo admonitus, & perterritus, eo libentius ad Dominum convertatur; pœnitentiamque sibi injunctam, quo mitius secum agi cognoscit, majorem in futurum ad peccata fugienda diligentiam adhibeat.

CAPUT IV.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Medici admoneant agrotantes, ut confiteantur peccata, ac animæ suæ salutem consulant.*

CUM sit anima corpore pretiosior, eaque ceteris rebus præponi debeat; cumque permulti veræ salutis immemores, ad corporalem medicum citius recurrunt, quam ipsius animæ salutem consulant: hac nostra constitutione sancimus, & sub excommunicationis pœna cunctis medicis, & chirurgis hujus nostræ diocesis districtè præcipiendo mandamus; ut cum primum ad quoscumque curandos non leviter agrotos fuerint vocati, infirmos admonendos curent, ut animarum medicos potius advocent; ut postquam de spiritali salute agrotantibus fuerit provisum, ad corporalia remedia procedatur. Quod si infirmi eos advocare contempserint, medici amplius quam bis eos non visitent, quousque certo sciant eos confessos fuisse, ac sacratissimum Christi corpus suscepisse. Curatis etiam præcipimus sub pœna peccati mortalis, ut sæpius medicos ipsos, & chirurgos, ut prædicta exequantur, admoneant.

CAPUT V.

IDEM.

*Mulierum confessiones in loco publico dumtaxat audiantur.*

UT omnis suspicio tollatur, nullusque diabolo detur ingressus, & locus; statuimus, & ordinamus, ut nullus sacerdos mulieris confessionem, nisi in loco publico, & januis apertis & post ortum solis, & ante solis occasum, ubi ab alijs videri, & inspicere possit, audiat; alias pro qualibet vice pœnam decem librarum ipso facto incurrat.

CAPUT VI.

IDEM.

*Qui presbyteri possint confessiones audire, & quas debeant pœnitentias injungere.*

Magna est animi dolore ferendum, multos esse illiteratos, indoctos, incautos, & inexpertos presbyteros, qui nescientes inter lepram, & lepram discernere; neque quod mortale, quod veniale peccatum sit, dignoscere; audiendarum confessionum munus, sine nostro, seu Vicarii nostri permissu,

missu,



missu, sibi ipsis procaciter vindicant, & usurpant. Nos igitur eorum temeritatem coercere cupientes, præsentis constitutione sancimus; ne posthac ullus presbyter officium confessoris exerceat, sine nostro, vel nostri Vicarii generalis permisso; necessitatis casu dumtaxat excepto: neque pœnitentiam pecuniariam sibi ipsi quovis colore applicandam, alicui pœnitenti injungat. Qui autem contrarium attentare præsumperit, & a proprio curato illius ecclesiæ impediatur, ut nostra hac constitutione impedi per eum mandamus, & pœna gravi arbitrio nostro, vel successoris nostri puniatur.

## CAPUT VII.

IDEM.

*Curati eorum nomina describant, qui ad confitendum obligantur.*

**U**T commodius Rectores, & quibus incumbit animarum cura, villicationis suæ rationem reddant; hac synodo approbante, curatis omnibus præcipimus; ut a principio Quadragesimæ omnium subditorum nomina describant, quos ad confitendum obligatos esse cognoverint: cujusmodi sunt patresfamilias, eorumque liberi adulti, cum famulis utriusque sexus in discretionis ætate constitutis, quos sedulo monebunt inter missarum sollempnia diebus Dominicis, & festivis; ut ad sacramentalem confessionem, necessarium animæ medicamentum, se præparent; neve in postremam partem Quadragesimæ confessionem differant: doceantque populum, in Dominica in albis tempus ab Ecclesia sacramentali confessione præcedente, Eucharistiæ communioni præscriptum, finire. Si qui vero, ea Dominica transacta, peccata sua confessi non fuerint, nec sacram Eucharistiam sumperint; hos tamquam præcepti Ecclesiæ transgressores a divinis eiiciant. Et si his non obstantibus per tempus octo dierum proxime sequentium peccata sua confessi non fuerint; requiratur curatus bajulum, vel alium officialem illius parochiæ; ut dictos renitentes carceribus mancipet, vel a sua parochia expellat, donec mandatis Ecclesiæ obtemperaverint. Quod si propter aliquod scandalum id facere timuerit, intra octo dies eorum nomina nobis, seu nostro Vicario generali transmittat; ut contra eos, vel canonicè procedere, vel ad tam salubre animæ medicamentum procedere possimus.

*Declaratio Eugenii Papæ quarti contentorum in præcedente constitutione, & in capitulo*

*Omnis utriusque sexus.*

Dilecto filio fratri Jacobo de Pririmiticis de Bononia ordinis Minorum observantiæ regularis.

**E**ugenius quartus, dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Fide digna relatione accepimus, in civitate Licii non parvam per hæc tempora excitatam fuisse commotionem de die debita perceptionis sacratissimi corporis Domini nostri Jesu Christi; & per aliquos religiofos sit affirmatum, quod non communicantes actualiter in die Resurrectionis dominicæ mortaliter peccarent, etiam si in die Jovis sancti, & aliis quibuscumque diebus infra annum pluries,

& frequentibus vicibus communicassent: quod piis auribus est audire molestum. Recolimus alias per nostrum quoddam breve scripsisse venerabili fratri nostro Episcopo Licienfi; quod intelligebamus satisfactum esse, si paullo ante, vel paullo post diem Resurrectionis Domini quis communicet; mirati sumus, quod postmodum nova controversia revixerit: sed inimicus homo supereminavit zizania. Nos igitur cupientes purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare attendentes juxta doctrinam beati Augustini, quod solent circumstantiæ scripturarum illuminare substantiam veritatis; & non solum adjacentia, sed etiam præcedentia, & subsequenta verba sunt consideranda prudenter: cum dicat canon Ecclesiæ; *Omnis utriusque sexus fidelis saltem semel in anno confiteatur*; & infra, *Suscipiens ad minus in Pascha reverenter Eucharistiæ sacramentum*; & sequitur, *Nisi de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum*. Dicimus expresse, non intentionis legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium sub culpa mortali ad communicandum præcise in die Dominicæ Resurrectionis, sed terminum statuisse a Pascha ad Pascha, cum dicit, *Semel in anno*; & infra, *Ad minus in Pascha*, &c. mens enim magis, quam verborum sonus est attendenda discrete. Intelligimus itaque optime juri satisfactum esse canonis; si in hebdomada sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis dominicæ, secundum meliorem dispositionem conscientiæ, & aptionem mentis devotionem, fideles præparatione debita sanctum Eucharistiæ pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent salutare, & huic sententiæ omnes volumus acquiescere. Quare devotioni tuæ committimus, ut prædicta, ubi oportere intelligas, populis nota facias. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo nostro secreto, die octavo Julii MCCCCXLVI. Pontificatus nostri anno decimo.

## CAPUT VIII.

ANTONIUS Augustinus in synodo, anni MDLXXXI.

*Quæ sint a confessoribus, in principio cujuslibet Quadragesimæ adnotanda, & memoria mandanda.*

**C**UM experientia rerum magistra docente, compertum sit, confessionem sacramentalem a Christi fidelibus faciendam ad extirpationem, seu expulsionem vitiorum, maleque ac turpiter viventium conversionem maximum remedium, ac salutare medicamentum esse: ideo ne rem tanti ponderis, & momenti silentio præterisse videremur, desiderantes præfatas confessiones illis, quibus rem tantam decet, maturitate, devotione, ac integritate ab omnibus orthodoxis fieri; nonnulla a sacerdotibus tam regularibus, quam sæcularibus prædictas confessiones audituris, necessario attendenda, & notanda, pro nostri officii munere hic inferere curavimus. Licet enim existimemus eos omnes ad prædicta exercenda habiles, & idoneos esse: quia tamen delicta aliqua mul-

multorum emendari raro cernimus, ea de causa hæc, quæ sequuntur, brevi compendio comprehensa, adjecimus; quæ ab omnibus curatis hujus nostræ diocesis, sub pœna peccati mortalis, in principio saltem cujuslibet Quadragesimæ, & omnibus confessoribus illius parochiæ, pro suarum conscientiarum exoneratione perlegi, & summo- per adnotari, & memoriæ mandari volumus.

Curabunt igitur Parochi, & alii quicumque confessores, dum confessiones audiunt, absolutio- nem sacramentalem denegare, vel saltem per aliquod tempus juxta peccata occurrentia differre personis, pœnitentibus sequentibus:

I. Excommunicato excommunicatione majori ob debitum civile, recusanti parti, cui dictam quantitatem debet, satisfacere.

II. Venienti ad confitendum peccata sua, non facto prius suæ conscientie examine.

III. Recusanti confiteri suo confessori nume- rum, & species peccatorum a se commissorum.

IV. Illi, qui malitiose in confessionibus antea factis tacuit, & dissimulavit aliquod peccatum mortale, & renuit illas confessiones repetere, & tantum vult de dicto peccato omisso se ac- cusare.

V. Non habenti contritionem, [vel attritio- nem] suorum peccatorum arbitrio sui confesso- ris necessariam.

VI. Nolenti acceptare non gravem pœniten- tiam, qua confessor eum judicaverit indigere.

VII. Illi, qui hæresim commiserit in foro exteriori puniendam, vel dixerit: etiam si bullam habeat, vel Jubilæum lucretur, non fa- cientem tamen de dicta hæresi fori exterioris mentionem.

VIII. Habenti consuetudinem blasphemandi, & maledicendi, & perjuriam committendi; ac recusanti se de his arbitrio confessoris emen- dare.

IX. Illi, qui emisit aliquod votum, & cum revera jam potuisset illud adimplere, noluit.

X. Habenti consuetudinem non audiendi, aut indevote audiendi rem sacram.

XI. Nolenti jejunare jejunia ab Ecclesia in- dicta, impedimento legitimo cessante.

XII. Filiis recusantibus obedire suis parenti- bus in his, quæ non injuste eisdem præcipiunt.

XIII. Religiosis apostatis, & sanctimoniali- bus non servantibus clausuram.

XIV. Conjugatis, qui absque licentia Eccle- siæ se invicem separarunt; aut male utuntur conjugio.

XV. Conjugibus cognoscentibus affines.

XVI. Ei, qui contraxit matrimonium cum aliqua in gradu prohibito sine dispensatione Ecclesiæ.

XVII. Ei, qui dedit consilium, vel favorem ad committendum aliquod peccatum, & recu- sat remedium necessarium ad illud tollendum adhibere: nisi forsan probabiliter promitteret se illud facturum, damnaque occasione ejus de- liciti illata satisfacturum.

XVIII. Danti scandalum proximo suo exemplo malo, verbis, signis, vel operibus illicitis; dan-

doque occasionem circumstantibus peccandi, vel male cogitandi, vel suspicandi: nam is non est absolvendus, donec suæ correctionis demonstra- tionem aliquam exhibuerit.

XIX. Habenti odium, seu inimicitiam cum aliquo cum scandalo maximo id scientium, & intuentium; donec conversus fuerit.

XX. Nolenti concubinam, etiam si famula es- set, vel ancilla, dimittere, vel occasiones pec- candi, vel perseverandi in amicitia illius, e- vitare: quales sunt conversatio, communica- tio, & cohabitatio ejusdem domus; etiam si ex hujusmodi occasionibus tollendis, & removen- dis posset murmuratio aliqua generari: nam ea non obstante, esset absolutio differenda, si aliter huic malo mederi non posset.

XXI. Lenonibus, meretricibus, aleatoribus, histrionibus, & recolligentibus, & habitatio- nem suarum domorum concedentibus turpiter, & inhoneste viventibus, ad dicta vitia ibidem exercenda.

XXII. Nolenti restituere res alienas, vel u- surario contractu quasitas, vel furto subtractas, vel sibi commodatas, aut ex falso testimonio in judicio præstito debitas, sive alias damno alteri dato.

XXIII. Ei, qui infamiae causam, vel injuriam alicui intulit; & bonam famam ei restituere, & se reconciliare recusat.

XXIV. Habenti officium, vel dignitatem, vel beneficium, cui aliqua cura, vel obligatio an- nexa est; & recusat, vel negligit, ea, ad quæ tenetur, adimplere.

XXV. Judicibus patientibus in districtu suæ ju- risdictionis peccata aliqua publica, vel alia que- cumque contra bonum commune committi, & exerceri; vel non administrantibus justitiam suis subditis diligentia, & sollicitudine neces- sariis, & requisitis.

XXVI. Advocatis, & Procuratoribus defen- dentibus causas, quas in principio, medio, vel fine litis intellexerunt esse injustas.

XXVII. Beneficiatis habentibus plura benefi- cia incompatibilia sine dispensatione.

XXVIII. Illis, quos constiterit commisisse a- liquod delictum, cujus absolutio sanctissimo Pa- pæ reservata est; & carentibus bulla, vel privi- legio Apostolico, excepto mortis articulo.

XXIX. Illis presbyteris, qui cum male ordi- nati, excommunicati, suspensi, vel irregulares sint; non verentur divina officia celebrare, & divinis se immiscere.

Alios plures casus poterunt ipsi confessores tam in bulla Censuræ Domini, quam in aliis tractatibus, & summissis legere. Illudque potissimum memo- ria retinere eos semper volumus, præfatos pœni- tentes, & eis similes non posse semper absolvi; immo beneficium absolutionis esse illis sæpe de- negandum, vel differendum, etiam si iidem pœ- nitentes bullam Apostolicam, seu Jubilæum, vel aliam indulgentiam similem haberent: cum præ- dictæ indulgentiæ requirant in pœnitentibus di- spositionem necessariam ad bonam, & validam confessionem faciendam, quæ dispositio in non resti-

restituentibus aliena, & in damna, & injurias non emendantibus, & in non dimittentibus concubinas, vel blasphemandi consuetudinem, & tandem in non corrigentibus delicta peccandi occasione ablata, & alia illis similia non caventibus non reperitur.

TITULUS V.  
DE VOTO, ET JURE JURANDO.  
CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXXI.

*Quomodo in votis, & sacramentis relaxandis confessores agere debeant.*

**U**T Parochi, & confessores, quibus ad dispensandum in votis emissis, vel ad annullandum, seu commutandum eadem, sive ad absolvendum a sacramentis præstitis, in hujusmodi materia, quæ admodum periculosa est, & frequenter eisdem evenire, & contingere solet; tutius, & securius se gerere, & habere valeant, frequentia duximus statuenda, & ordinanda.

In primis considerent, voti, & jurisjurandi relaxationem nobis, & sedi Apostolicæ esse referatam, nisi specialiter eis fuerit delegata.

Secundo eisdem animadvertendum est, quod ad hoc, ut votum, & sacramentum emissum obligent; necesse est, ut fiant de aliquo actu bono, ac majoris boni nullatenus impeditivo: & sic vovens, vel jurans, dictum votum, seu juramentum, quam citius poterit, tenebitur in forma specifica, vel eo saltem meliori, quo poterit, modo, adimplere. Quod si absque justa, & rationabili causa id recusaverit, seu distulerit; mortaliter peccabit: nec confessor poterit hujusmodi voventes, vel jurantes absolvere, vel eadem vota eisdem commutare, nec Ordinarius cum illis dispensare. Cum semper ad dispensationem, vel commutationem rite, recteque faciendam aliqua justa causa requiratur. Si tamen confessor intellexerit expedire, dictum penitentem a voto emissio liberari; si est mulier nupta, vel filius sub potestate patris constitutus, vel alia persona in alterius potestate redacta; consulat eidem, ut de dicto voto uxor maritum, filius patrem, servus dominum, monachus superiorem certiore faciat: quia in illorum potestate erit præfatum votum, tamquam sine licentia illius factum, eidem penitenti annullare.

Tertio considerandum est, posse Ordinarium, vel ab eo potestatem habentem remittere quibusvis voventibus suæ diocesis omnia, & singula vota ab eisdem emissæ; exceptis quinque votis; scilicet religionis, castitatis, eundi Hierusalem, eundi Romam, vel eundi ad visitandum sepulchrum sancti Jacobi Compostellanum.

Quarto attendendum est, posse etiam confessorem ex commissione Ordinarii, vel ex privilegio Apostolico Jubilei, vel bullæ sanctæ Cruciatæ, vel alterius similis ad id commissionem dantis, dispensare cum votis, vel illa commutare: & eo casu, ut valida sit commutatio, vel dispensatio, necesse est, quod primo servetur per confessorem forma commissionis sibi traditæ; secundo, quod fiat commutatio in æquale bonum; & in gloriam &

honorem Dei omnipotentis, & Sanctorum illius.

TITULUS VI.  
DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ  
SACRAMENTO, AC EJUS VENE-  
RATIONE, ET CUSTODIA.

CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

ADHORTATIO.

**S**anctissimum Eucharistiæ sacramentum propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Redemptor noster Christus Jesus, ad sempiternam suæ passionis memoriam, ad nostræ virtutis incrementum, & ad divini amoris spiritum fovendum, aliaque caelestia dona impertienda instituit. Quare studeat curatus; ut cum alias semper, tum præcipue majoribus anni sollemnitatibus, quotiescumque fideles ad sacramenti hujus susceptionem accesserint, non intima solum religiosi animi pietate, sed externa etiam cultus, vestitusque modestia, humili genuflectione, armis depositis, viris a mulieribus certo quodam ordine sejunctis, quam par est, animi religionem, atque reverentiam ad tantum sacramentum afferant, in quo ipse gratiarum omnium auctor Christus continetur. Cum vero illud pueris usum plenioris rationis habentibus erit primo ministrandum, aliquot ante dies, vel Parochi, vel ii confessores, quibus illi solent confiteri, in his omnibus instruant quæ ad ejus vim, & præstantiam cognoscendam ac pietatem excitandam magis necessaria videbuntur. Idem cum rusticis, & idiotis personis agendum est.

CAPUT II.

IDEM.

*Qua forma deferendum sit ad infirmos sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, & qua forma redeundum ad ecclesiam.*

**C**UM ad ægrotos hoc sanctissimum sacramentum deferendum est, Parochi certis campanæ ictibus fideles convocent, qui psalmum *Miserere* recitantes, ipsum cum luminibus, & umbella tectum pie prosequantur, tintinnabuli etiam sonitu præmissis, quo reliquus populus ad reverentiam excitetur. Ne vero curato ad ecclesiam redeunte, inane vasculum adorari contingat; si ægrotus ab ecclesia non longe abfuerit, tunc duæ sacræ hostiæ deferantur. Si vero ad loca valde distantia, accessuque difficilia sacramentum deferendum est; unam sacram tantum hostiam in vasculo, in serica bursa, bene incluso, & a collo pendente, caute, & reverenter gesser; ne sacramentum aliquo casu in terram decidere possit. Eo autem ministrato, stolam, & alia exuat, ac occultato vasculo, ad ecclesiam revertatur. Omnibus vero, qui quodcumque sacramentum comitati fuerint, & profecuti, quadraginta dierum indulgentiam, præter alias a summis Pontificibus hac de causa concessas, nuntiando.

CAPUT III.

IDEM.

*De habitantibus in diversis parochiis.*

**S**i quis in duabus parochiis habitare intra annum solitus est, tempore Quadragesimæ in

ea Eucharistiam sumat, in qua majorem anni partem habitat. Quod si in alia communicare voluerit, id ei non vetamus, dummodo communionis illic perceptæ fidem a Parocho illo subscriptam alteri ostendat.

## CAPUT IV.

IDEM.

*Publici concubinarij, & concubinæ, & meretrices, & alij enormes, notoriiq; peccatores non semper recipiantur ad communicandum, etiam si afferant sigillum, seu scripturam suorum confessorum.*

CUM multi reperiantur, qui aut in concubinato, usuris, & aliis notoriis peccatis perseverantes, promittant se omnino ad meliorem vitæ frugem reducere; aut infra terminum competentem sibi assignatum, juxta facultates suas his, quibus tenentur, satisfacere, & restituere, vitamque suam omnino emendare: & cum post unum vel duos, vel forsitan plures annos promissa non exequantur; dubitantes, quod si eisdem Parochis, seu curatis propriis singulis annis confiterentur, nullo pacto absolventur; in grave animarum suarum præjudicium, a diabolo obcæcati, confessores malitiose, & dolose mutant: a quibus cum aut eis veritas non sit dicta vel ex ignorantia, aut ex alia causa scriptura obtenta, ad sacram communionem a propriis curatis admitti volunt & petunt. Ea propter eorum temeritati, dolo, & fraudi obviantes, præsentis constitutione sancimus, præcipimus, & jubemus, sub pœna decem librarum; ut curati nullo modo admittant dictos tales concubenarios, lenones, adulteros, fures, & usurarios, ac alios utriusque sexus adhuc in peccato perseverantes, ad dictum Eucharistiæ sacramentum, etiam si chirographum, seu scripturam confessorum afferant; cum verisimile sit, dictos in peccato, & scandalo perseverantes nullam satisfactionis, aut pœnitentiæ partem præmississe. Quod si non ficti, sed veri pœnitentes sint, graviore pœnitentia suppositi admittantur.

## CAPUT V.

Ferdinandus Loazes in synodo anni MDLXVI.

*Ubi servari debeat sanctissimum Eucharistiæ sacramentum.*

UT scandala, quæ oriri possunt, evitentur, hac nostra constitutione sancimus, & ordinamus; ut sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in ecclesiis solummodo parochialibus referretur. In ecclesiis vero suffraganeis, vel annexis non referretur; nisi Rector, aut Vicarius ad ejus custodiam deputatus in illis resideat. Qui contrarium fecerit, arbitrio nostro punietur.

## CAPUT VI.

IDEM.

*Qualis debeat esse locus ad reponendum Eucharistiæ sacramentum, & sanctum chrisma, & oleum designatus.*

Quoniam propter sacramentorum, & præcipue Eucharistiæ irreverentiam ira Dei nunquam sævit in ministros: & ne ad ea, quæ ad salutem nostram proposita sunt, temeraria manus extendi valeat ad aliqua horribilia, seu ne-

faria exercenda: statuimus, & ordinamus, ut chrisma, & oleum sanctum, & sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sub diligenti custodia serventur in loco tuto, securo, & honesto, & clave clauso: ipsosque curam animarum exercentes admonemus, ut claves sacramentorum apud se observent; nec eas commendent laicis, seu pueris: statuentes etiam, ut coram eodem unam saltem lampadem faciant semper ardere, sub pœna trium librarum.

## CAPUT VII.

IDEM.

*Quando sanctissimum Eucharistiæ sacramentum renovari debeat.*

Item statuimus, & ordinamus; ut octavo quoque die sanctissimum Eucharistiæ sacramentum a curato, vel hebdomadario renovetur: alias qui negligens fuerit, pœna trium librarum puniatur.

## CAPUT VIII.

IDEM.

*Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum non ministrretur aibi sanis, nisi in ecclesiis.*

INsuper statuimus, & ordinamus; ut hominibus sanis, nullaque infirmitate laborantibus, in privatis domibus Eucharistiæ sanctissimum sacramentum non ministrretur. Sacerdos autem, qui sine nostra facultate in privatis domibus missam celebraverit, aut alicui sano sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ministraverit; decem librarum pœna pro qualibet vice puniatur.

## CAPUT IX.

IDEM.

*Laici sacrarium non ingrediantur.*

Propter sanctissimi Eucharistiæ sacramenti decus, & reverentiam statuimus, & ordinamus, ut laici sacrarium non ingrediantur, neque etiam communicandi causa. Ad altaris vero gradus accedere poterunt, cum communicare voluerint.

## CAPUT X.

IDEM.

*Quid dicturus est sacerdos infirmo non valenti sumere sanctissimum Eucharistiæ sacramentum.*

Quia nonnulli imperiti sacerdotes, cum sanctissimum Eucharistiæ sacramentum portant ad infirmum, si vident eum nauseantem, vel ita laborantem, ut illud sumere non possit; dicere solent: „Tantum valet, & tibi prodest, sanctissimum sacramentum adorare, quantum si sumperis“; cumque id erroneum sit, nullatenus est dicendum. Hac ergo nostra constitutione sancimus, præcipimus, & mandamus; ne in tali casu prædicta verba sacerdos proferat: sed infirmo Christi corpus ostendat, eique suadeat, in ipsum credendum, ac ipsi soli fidendum, dicens: „Quia sacramentaliter sanctissimum Christi corpus sumere non potes, sufficit spiritualiter illud sumas, inspicias, & adores“. Caveantq; etiam curati, ne noctu ob scandala, quæ facile oriri, & contingere possent, afferant dictum Eucharistiæ sacramentum ad domos solitarias, quæ extra oppida sub ecclesia parochiali sunt; nisi in casu extremæ necessitatis, & tunc cum magna cautela fiat.

CA-

## CAPUT XI.

ANTONIUS August. in synodo an. MDLXXXI.  
*Eucharistiæ sacramentum non afferatur ad incendia, rixas, inundationes aquarum, vel tempestates.*

**T**emerariam judicantes consuetudinem, & simplicitatem nonnullorum sacerdotum, qui ad inundationes aquarum, incendia, rixas graves, fulgurum, seu aerum tempestates, & ad alia his similia sanctissimum Eucharistiæ sacramentum populi forsan impulsu, afferre solent; hac nostra constitutione præcipimus, & mandamus, ne de cetero curati, vel alii sacerdotes talia facere præsumant: sed potius casu hujusmodi occurrente, pulsatis campanis, dictam sacram Eucharistiæ reverentia, & veneratione debitæ a sacrario extrahant, & super altari illius ecclesiæ ponant: ibique una cum clero, & populo Deum, qui solo verbo omnia sanare, & curare potest, fide sincera, puroque animo, ut hæc mala avertat, pie, ac sancte precentur. Contrarium vero facientes arbitrio nostro gravissime punientur.

## TITULUS VII.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, ET  
DIVINORUM OFFICIORUM.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXVIII.

## ADMONITIO.

**E**X omnibus Christiani cultus officiis, quibus Deus a fidelibus colitur, nullum est, quod cum sacrosancto missæ sacrificio conferri, & comparari possit, & valeat, quo vivifica illa, & salutaris hostia Christus dominus semel in cruce Deo Patri immolata, quotidie ad ejus passionis memoriam, & uberrimos in nos fructus derivandos sacerdotis ministerio offertur. Quare ut illud a sacerdotibus rite peragatur, atque a populo religiose colatur; hæc, quæ sequuntur, servanda præcipimus.

Sacerdotes igitur missæ sacrum facturi, ne accedendo ad altare manibus pollutis, oculis impudicis, ore venenato, corde impuro, Christum iterum, quantum in se est, crucifigant, Angelosque sacrificio assistentes offendant; & de singulari medicina sibi miserabiliter æternam damnationem acquirant: ideo monemus, ut se in tam alti mysterii meditationem antea colligant, & quæ in missa legenda sunt, maturæ præveniant, propriamque conscientiam diligenter discutiant; & si mortali aliqua culpa se adstrictos cognoverint, non prius ad illud faciendum accedere audeant, quam sacramentali confessione conscientia labem diluerint. Neque sola contritione se fecisse satis putent, nisi confessorum facultas longe absit. Quod si necessitate urgente sacerdos sine prævia confessione celebraverit; quam primum poterit, confiteatur. Hortamur etiam eosdem, ut singulis saltem hebdomadibus idoneo sacerdoti a nobis, seu vicario nostro approbato peccata sua confiteantur, nisi ob peccati mortalis culpam frequentius id facere oportuerit, ut puriores ad rem divinam faciendam accedant: illum semper con-

Tom. III.

fessorem eligendo, qui non solum doctrinæ, sed multo etiam magis vitæ, morumque dotibus præditus sit. Nec ea tantum in dicta confessione perpendant, & confiteantur, quæ commissionis peccata dicuntur; sed etiam illa, quæ omissionis sunt, cum hæc in sacerdotis vitam pro officio suo tum graviora, tum multo plura, quam in ceteros homines cadere possint.

## CAPUT II.

IDEM.

*Missæ conventualis qua hora inchoanda sit.*

**A**D lites, quæ inter Rectores, seu alios curatos, & illorum parochianos in dies de hora celebrationis missæ conventualis oriri solent, sedandas statuimus, ac sub trium librarum pœna mandamus; ut quolibet tempore missæ conventualis in qualibet parochia inchoetur ab hora octava usque ad nonam; nisi ob justum impedimentum ipsius curati aliter fieri expediret, vel necessarium esset: ita ut inchoatum semel officium divinum nullius personæ causa, vel respectu interrumpatur. Eisdemque curatis præcipimus, ne intra templa minime ferant, & permittant larvatos homines, aut qualescumque alios, qui officia sacra perturbent; quales sunt tormenta manuarum portantes, vel sulphurariis machinis utentes.

## CAPUT III.

IDEM.

*De Missis, quæ in parochiis in fine cujuslibet anni celebrandæ supersunt.*

**N**E piæ testantium voluntates depereant, neque ipsorum animæ debitæ suffragiis fraudentur; præcipimus synodo hac approbante, missarum celebrationem, & alia pia opera, quæ testamentis mandantur, saltem intra annum unum post testamenti publicationem impleri. Quin etiam curatis omnibus, & rationum ecclesiasticarum præfectis jubemus sub pœna decem librarum, ut singulis annis per totum mensem Majum nobis, seu Vicario nostro generali exponant, quantum missarum nondum celebratarum numerus in ipsorum parochiis supersit; ut nos, seu Vicarius noster quid ea in re agi debeat, possimus mature statuere.

## CAPUT IV.

IDEM.

*Promoti nuper ad sacros ordines non permittantur celebrare, seu dictos ordines exercere, sine expressa licentia Ordinarii.*

**I**nsuper, ut rectius omnia peragantur, statuimus, & ordinamus, sub pœnaque decem librarum cuilibet Rectori, vel regenti curam animarum cujuslibet parochiæ præcipimus, & mandamus, ne in ecclesiis, seu capellis suæ parochiæ aliquem ex presbyteris, diaconis, vel subdiaconis a nobis, vel ab alio quolibet Episcopo ad sacros ordines nuper promotis, celebrare, vel pertinentia ad sacros ordines exercere permittant; quin prius a magistro nostro ceremoniarum approbati fuerint, & a nobis, seu a Vicario nostro generali licentiam in scriptis ad prædicta exercenda obtinuerint: ut aliis nostris edictis generalibus super his editis cautum, & publicatum sit.

A a a

CA-

## CAPUT V.

IDEM.

*Qui non fuerit subdiaconus, ne dalmatica indutus Epistolam cantet: nec is, qui non est presbyter, qui novenis, & annuis admittatur.*

**I**N quibusdam ecclesiis nonnulli ministeria sacra, quæ sibi non competunt, exercere non verentur. Quare decretis sacri concilii Tridentini adherentes, hac constitutione sancimus; ne in posterum illi, qui non fuerint ad sacrum subdiaconatus ordinem promoti, dalmatica induti Epistolam cantent, aut altari tamquam subdiaconi deserviant. Et illi, qui ad presbyteratus ordinem non sunt promoti, non admittantur a curatis in novenis, & annuis pro defunctis celebrandis: licet promittant se missas postea per se, vel per alios celebraturos. In ecclesiis tamen suorum beneficiorum non excludantur a lucro suis beneficiis competente propter interessentiam tam in exequiis, quam in anniversariis, & aliis divinis officiis. Qui vero non paruerint, atque curati, qui supradicta in suis ecclesiis permiserint, pro qualibet vice pœnam quinque librarum ipso facto incurrant.

## CAPUT VI.

IDEM.

*Quæ missæ pro conventualibus dici possint.*

**C**UM sæpe contingat, quæstiones, & jurgia oriri inter curatos, qui ad missam conventualem quotidie, vel aliquibus diebus pro populo celebrandam ex ordinatione, & taxatione Prælatorum tenentur, vel in futurum forsitan tenebuntur, & parochianos illorum super missis, quas dicti curati pro conventualibus dicere possunt: ideo volentes, & desiderantes pro munere nobis injuncto, dictis discordiis obviare, omniaque cum pace, & tranquillitate fieri, & gubernari; hac constitutione sancimus, & ordinamus, prædictos Rectores, & curatos, qui ad prælibatam certam taxam, seu numerum missarum tenentur, seu tenebuntur, censeantur dicto missarum numero, ac populo satisfecisse, & in numerum dictarum missarum collocare, & ponere potuisse, & posse illas missas, quas diebus Sabbati de Virgine Maria dicent, & alias, quas pro benedictione nubentium celebrabunt; nec non illas, quas pro sepultura corporis alicujus defuncti, vel quæ vulgo novena, & caput anni vocatur, dicent, vel decantabunt: dummodo illas dicant hora solita, & assignata ad missam conventualem dicendam, & in eisdem pro populo sibi commissio orent: exceptis Dominicis diebus & festivis.

## CAPUT VII.

**F**ERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI, Sacerdotes cum magna reverentia celebrabunt.

**C**UM juxta sacrum concilium Tridentinum saltem Dominicis diebus, & festis celebrare debeat sacerdos; operam dabit, ut cum magna devotione, magnaque reverentia id faciat; nec pileum, seu birretum celebrando, vel non celebrando super altari ponat: in missa vero omnia clare & distincte usque ad Canonem legat, ut ab audientibus intelligantur, & ad devotionem, pieta-

tem, & contemplationem rapiantur. Divinus enim cultus, quem in domo Dei sacerdos exhibet, cum magna modestia, ac veneratione peragi debet; ut Deo gratus, & audientibus placidus existat; quique eos doceat, instruat, atque reficiat.

## CAPUT VIII.

IDEM.

*Presbyter sine ministro non celebret.*

**Q**uia multoties presbyteri sine ministris missam celebrare non dubitant; hac nostra constitutione sacris canonibus adherendo sancimus, prohibemus, ut presbyter solus, nisi duobus presentibus testibus, vel ad minus unico idoneo ministro, missam celebrare non audeat. Debet enim habere secum, qui salutationibus respondeat, & necessitatibus occurrat. Nec audeat etiam quis in capellis, seu oratoriis domorum privatarum, quovis quæsito colore celebrare, sine licentia nostra, vel nostri Vicarii generalis in scriptis obtenta, sub pœna quinque librarum: etiam si dicta missa nuptialis, vel benedictionis nubentium esset, aut pro defunctis.

## CAPUT IX.

IDEM.

*Nullus sine licentia duas, aut plures missas celebret.*

**C**UM nonnulli simplices, atque ignorantes sacerdotes plures missas eodem die non vereantur celebrare; nostraque ac prædecessorum nostrorum concilia id prohibentia non attendant: hac synodo approbante statuimus, & ordinamus; ut deinceps sine nostra, vel Vicarii nostri generalis facultate, nisi in casibus a jure permissis, plures missas celebrare presbyteri non audeant, etiam in die omnium defunctorum postridie Kal. Novembr. pœna decem librarum pro qualibet vice, qui contrarium fecerint, incurrenda.

## CAPUT X.

IDEM.

*Duabus candelis accensis missa celebretur.*

**I**tem statuimus, & ordinamus; ut nullus presbyter missam celebret sine duabus candelis cereis incensis, & in utraque altaris parte positis, quas extinguere, vel amovere quisquam non possit, donec ipsa missa perficiatur. Quod si quis in elevatione Eucharistiæ lumen habere voluerit, vel haberi consuetum fuerit, ab altari candelam non accipiat, sed aliunde habeat.

## CAPUT XI.

IDEM.

*In capellis nullus celebret missas diebus Dominicis, & festivis ante missam majorem parochialis ecclesiæ.*

**I**nsuper statuimus, & ordinamus; ut in capellis nostræ diocesis extra parochiales ecclesias constitutis diebus Dominicis, ac festivis missæ, antequam missa conventualis absoluta sit, non celebrentur: ut omnes ad audiendum missas ad suam parochiam accedant, ibique festa, jejunia, decem præcepta legis, symbolum fidei, ceteraque ad salutem animæ necessaria doceantur. Si vero festum Sancti, vel Sanctæ, ad cujus invocationem capella fuerit fundata, occurrat celebrandum, illa die qualibet hora poterit missa celebrari in dicta

dicta capella, dummodo panis, & aqua ibi non benedicantur; nec ea, quæ ad parochialem ecclesiam pertinent, ibi exercentur. In plateis autem, vel vicis, aut campis missæ numquam celebrentur, sub pœna excommunicationis.

## CAPUT XII.

IDEM.

*Presbyteri alterius diœcesis sine litteris commendaticii ad celebrandum non admittantur.*

**C**UM clericus alterius diœcesis sine litteris commendaticii, seu dimissorii ad divina peragenda officia admitti non debeat; temeritatem nonnullorum subditorum refranantes, qui clericos peregrinos sacris operari permittunt; & quod pejus est, animarum curam eisdem committunt: hac synodo approbante statuimus, & sub pœna decem librarum prohibemus; ne quis Rector, vel Vicarius aliquem ex presbyteris alterius diœcesis ter in sua parochia celebrare permittat, sine nostra, vel nostri Vicarii generalis licentia.

## CAPUT XIII.

IDEM.

*Peracta Præfatione pulsetur campana.*

**Q**uia multi ex plebe variis detenti negotiis rei sacræ singulis diebus interesse non possunt; cupiuntque relictis rebus suis, saltem in elevatione corporis Christi præsentem esse ad adorandum Dominum; nec tamen qua hora sit eundem, sciunt: proinde hac synodo approbante sancimus; ut Rector, seu Vicarius in missæ celebratione campanam pulsari jubeat peracta Præfatione missæ, antequam sacrum canonem dicere incipiat; ut pius populus Dominum adoraturus, ad ecclesiam possit accedere. Quod si in una, eademque ecclesia plures forsitan missæ celebrabuntur qualibet die, satis erit, quod prædicta campana pulsetur in missa conventuali.

## CAPUT XIV.

IDEM.

*Ovetur pro Papa, Regibus & Præsule in celebratione missarum.*

**H**AC nostra constitutione sancimus; ut quotiescumque summus Pontifex, aut Rex Hispaniæ, aut proprius Præsul de vita periclitari contigerit, omnes nostræ diœcesis sacerdotes, sine aliqua alia exhortatione, in suis sacrificiis, & privatis orationibus pro eisdem, ac quolibet eorum Deum orent; & cum ab hoc sæculo migraverint, pro animabus eorum, sine alia monitione, sacrificia, & oblationes offerant.

## CAPUT XV.

IDEM.

*Celebrantes primam missam choreas non ducant, nec saltationibus intersint.*

**P**ermulti novitii sacerdotes primam missam celebrantes, eodem die cum laicis, ac feminis publice prandent, choreasque ducunt, ac saltant, cumque debeat illo die sacerdos de tanto sibi collato beneficio Deo gratias agere, hac synodo approbante prohibemus; ne deinceps eo die, quo primam missam celebraverit, sed neque in aliis,

quibuscumque choreis, saltationibus, cantilenis, atque tripudiis intersit: quin potius cum honestis presbyteris, & personis honesta, si voluerit, convivium peragat. Qui non paruerint, decem librarum pœna multentur.

## CAPUT XVI.

IDEM.

*Omnes genuflectant ad symboli verba, Et homo factus est.*

**E**tsi tantam Creatori nostro laudem, quanta dignus est, præstare non possumus; ipsum tamen toto pectore, totis viribus ac mente colere, & venerari debemus. Cumque fides, & humilitas Deum præ ceteris mulceant, hac nostra constitutione sancimus, atque mandamus, ut symbolum fidei clerici clare, atque aperte cantando proferant; & cum articulus ille, *Et homo factus est*, dicatur, omnes nudo capite, etiam tempore Paschali, genua flectant. Quibus genuflectentibus qualibet vice quadraginta dies indulgentiæ concedimus; ut tam laudabilem, tamquam frugiferam consuetudinem cum fructu fervent.

## CAPUT XVII.

IDEM.

*Ante lucem missa non celebretur, nec celebrantes vino nigro utantur.*

**Q**uia nonnulli missam benedictionis nuptiarum audituri, occulte, & sapius ante lucem id efficere curant, quasi quidpiam inhonesti operis faciant, hunc abusum penitus extirpare volentes statuimus, & ordinamus; ut nullus sacerdos ante lucem missam aliquam dicat, aut celebret, præterquam in die Natalis domini nostri Jesu Christi. Nec in celebratione missarum vino nigro aut rubro, si id commode fieri poterit, utatur. Si quis vero contrarium fecerit, decem librarum pœna punietur.

*Motus proprius Pii quinti Pape de eadem materia.*

Venerabili fratri Archiepiscopo Tarraconensi Pius Papa quintus.

**V**enerabilis frater, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Quantum ex recte ordinatis ecclesiarum rebus, præcipue autem his, quæ non solum ad debitum sanctissimæ Eucharistiæ sacramento cultum, & venerationem exhibendam, sed etiam ad providam, & decentem illius sumptionem, & administrationem pertinent, in Domino gaudemus: tanto ex eisdem neglectis, ac prope destitutis, pastoralemque sollicitudinem desiderantibus mœrore afficimur. Allatum est ad nos non sine magno animi nostri dolore, in omnibus fere istius provinciæ diœcesibus tantam a sacerdotibus in celebrando sacrosancto missæ sacrificio negligentiam, irreverentiamque adhiberi; ut multi, vel plerique eorum hostiis maculosis calicibus sordidis indecorisque pannis coopertis, corporalibus immundis, mappis, albis, & aliis ad ejusdem sanctissimi sacramenti usum destinatis, sordibus obsoletis, maleque compositis utantur; sic, ut quivis fidelium talem, tantamque sacerdotum irreverentiam vix ab impietate sejunctam existimare posse videatur. Ad hæc mala, alia quoque

que non minus gravia, periculosaque accedere intelligimus; quod iidem post pretiosissimum sanguinem sumptum nullam, vel parvam admodum adhibent curam, ne reliquæ sanguinis in calice remaneant, nihil eo tempore attendentes, majorne, an minor ablutio adhibenda, quæ calicis parte assumenda sit; cum utrumque manifestum sit, nec minore quantitate majorem omnino attrahi; nec per aliam partem, quam quæ acratissimus Christi sanguis transit, ablutione assumenda calicem ipsum bene abstergi posse; quem quidem eos purificandum etiam laicis, & plerumque sordidis servis tradere, eisdemque pacem quoque cum patena audientibus missam deferendam dare consuevisse accepimus; qui, præterquam quod illotis manibus, etiam sæpe peccatis mortalibus onerati, nullo modo ad tale ministerium admittendi sunt. Audivimus etiam, aliquos eorum in præparanda tanti sacrificii celebratione non guttam tantummodo aquæ, quemadmodum fieri debet; sed plus aquæ, quam vini, aut tantundem aquæ quantum vini in calice infundere. Quæ si vera sunt, quoniam a tanti sacrificii dignitate manifesto aliena esse, ac præterea simplicibus hominibus talia, tantaque mysteria irreverenter tractari cernentibus scandalum maximum afferre dignoscuntur; idcirco fraternitati tuæ mandamus, & distincte præcipimus; ut ea in tua diocesi diligenter per te, vel per idoneos viros inquisita, quam primum corrigi, atque emendari jubeas, clerumque tuum tam in synodis, quam in reliquis congregationibus, quas cum tuis clericis, & curatis habueris, tuo, nostroque itidem nomine sedulo moneas, & horreris; ut ab his, quos supra diximus, abusibus, & a reliquis, si qui fortasse eorundem sacerdotum incuria irrepsérint, omni studio caveant; omnemque posthac operam, diligentiamque tuam in eo ponant, ut sacrosanctum hoc missæ sacrificium, quanta maxima fieri potest, non solum interiori cordis puritate, ac munditia, sed exteriori devotionis, pietatisque specie peragatur, atque administretur. Volumus autem, ut concionatores in tua diocesi verbum Dei prædicaturi, populum ipsum ad debitum sanctissimæ Eucharistiæ sacramento patriæ cultum, qui vero Deo debetur, adhibendum frequenter hortentur, & quibuscumque recte poterunt, modis excitent. Est enim valde timendum; ne si tale, tantumque sacramentum vel a sacerdotibus irreverenter tractari, vel a populo negligi contigerit; ab utrisque illud Deus, quod absit, quemadmodum ab hæreticis auferri permittat. Ita igitur fraternitas tua hæc, & si quæ alia sunt, ad ecclesiasticam disciplinam pertinentia exequi studeat; ut & nobis, quæ de te audire cupimus, semper renuntientur; & cum pastor pastorum apparuerit, ab auditione mala tibi timendum non sit. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die octava Januarii, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Pontificatus nostri anno quinto.

T. Aldobrandinus.

#### CAPUT XVIII.

IDEM Ferdinandus Loazes.

*Ne presbyteri in celebratione missarum se invicem impediant.*

**S**I plures missæ eodemmet tempore celebrandæ erunt, non celebrentur, ubi commode fieri poterit, in altaribus ita propinquis, ut sacerdotes mutuo se audiant, & intelligant, & quodam modo se invicem impediant: sub pœna trium librarum ab eo incurrenda, qui posterior missam inceperit priori nondum finita.

#### CAPUT XIX.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

*Qui divinis officiis non interfunt, vel presentes alias res agunt, distributiones amittant.*

**C**UM illi, qui in choro conveniunt, canendi, seu psallendi, & non confabulandi, seu dormiendi gratia convenire debeant: ut ita decenti clericorum numero, majorique sollemnitate, & reverentia divina officia peragantur; pariterque ab omnibus in psalmis, & canticis devote, ac reverenter nomen Domini laudetur: & ut bursarius, ex cujus diligentia fere totam chori disciplinam, ejusque regimen pendere compertum est, certo sciat, quibus distributiones quotidianas juxta sacramentum ab eo præstitum in introitu sui officii, tuta conscientia solvere, & exhibere possit, & debeat: hac nostra constitutione statuimus, & ordinamus; ut qui in matutinis ante finem Psalmi *Venite exultemus*; in aliis horis ante initium secundi Psalmi; in missa vero conventuali, vel anniversarii ante Epistolam non venerit; & usque in finem divino officio non interfuerit, & in majori saltem parte missæ, vel cujuscumque horæ canonicæ confabulationibus, vel deambulationibus, vel somno operam dederit, illius horæ distributione privetur. Et si dicta distributio a dicto bursario pro illa hora, qua id egerit, ei dabitur, ad restitutionem illius in foro conscientiæ teneatur; nisi pro celebranda missa, vel alia urgente necessitate permisso, & licentia præsidis e choro exierit.

#### CAPUT XX.

FERDINANDUS Loazes in synodo an. MDLXVI. *Quid deceat clericos in choro, & divinis officiis agere.*

**Q**uia honestatem ubivis, & præcipue in ecclesiis, dum divina celebrantur officia, clerici servare debent: hac synodo approbante statuimus, & ordinamus, ut cum primum clerici ecclesiam intraverint, superpelliceis mundis, ac minime laceratis induantur. Item in processionibus, & choro silentium, & gravitatem servant; nec litteras, aut scripturas aliquas legant, nec confabulentur, sed nec privarim officium dicant: quin potius horis canonicis intendant, psallant, & cantent, non festinanter, sed lente, ac pedetentim. Contrarium vero facientes distributione illius horæ priventur. Mandantes etiam, ut horæ Vesperarum, & Completorii, quoties id commode fieri poterit, in choro ecclesiarum, & non ante capellas, intra, vel extra ecclesias con-

stru-



structas, sub pœna trium librarum a clericis decantentur.

*Ad quam redituum, seu fructuum restitutionem teneantur, qui divinum officium vel in choro, vel privatim quolibet die non dicunt: declarat Pius quintus Pontifex maximus motu proprio sequenti:*

Pius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

**E**X proximo Lateranensi concilio pia, & salubris sanctio emanavit; ut quicumque habens beneficium ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, divinum officium legitimo cessante impedimento non dixerit; beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officii, & temporis, suos non faciat; sed eos, tamquam injuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratio prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei evidenti, atque expressius providere volentes, statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit; omnes beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat: tametsi aliquis choro additus, non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones forte aliter assignatas, sola præsentia juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse prætendat; is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem; item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimoniam; præstimoniales portiones, & quacumque alia beneficia etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, ut clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum; & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Romæ, apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ MDLXXI. duodecimo Kal. Octobr. Pontificatus nostri anno sexto.

Cæsar Glorierius. H. Cumyn.

C A P U T XXI.

IDEM Ferdinandus.

*Quomodo puniendi sint qui extra chorum per ecclesiam vagantur.*

**E**Xterminantes ab usum quorundam clericorum, qui dum divina peraguntur officia,

choro exeunt, & per ecclesiam perambulando, vagantur: statuimus, & ordinamus; ut quicumque clericus, divinorum officiorum, tempore, extra chorum per ecclesiam deambulando, colloquendo, confabulando, vel officium privatim dicendo repertus fuerit; illius horæ distributiones amittat. Quod si semel correptus non destiterit, per mensem distributionibus careat. Quod si adhuc pertinaciter se gesserit, graviore pœnæ imponendæ subiaceat.

C A P U T XXII.

IDEM.

*Laici, dum divina celebrantur officia, chorum non ingrediantur.*

**Q**uia in choro, dum divina celebrantur officia, laicos, & potissimum mulieres, inter clericos sedere non decet; hac synodo approbante sancimus, & cunctis laicis, cujuscumque gradus, & conditionis existant, sub excommunicationis pœnæ præcipimus; ut posthac, dum divina celebrantur officia, chorum non ingrediantur; immo a curatis, vel chori præsentibus sub pœnâ decem librarum expellantur. Quia tamen in plerisque nostræ diœcesis ecclesiis, propter clericorum penuriam, consuetudine quadam, seu necessitate est introductum, ut laici in choro cum clericis cantent; tales laicos cantare scientes hac nostra constitutione comprehendere minime volumus: dum tamen ipsi neque in choro, neque in processionibus, neque in aliis divinis officiis superpelliceis, ruquetis, aut sacris clericorum indumentis vestiantur, & utantur; illis exceptis, qui crucem, vel candelabra, vel turibulum, vel vexillam in processionibus portabunt: his enim permittimus, ut in dictis calibus, vel similibus lineis vestibus utantur, Rectorum arbitrio, & consensu.

C A P U T XXIII.

IDEM.

*Laici, dum divina decantantur officia, per ecclesiam non deambulent.*

**C**UM laici plerumque ad cathedrales, & collegiatas, vel alias quascumque ecclesias nulla devotione, sed potius gerendarum rerum, & tractandorum negotiorum gratia confluant; & nihil minus ibidem, quam de sacris, & divinis rebus agant: eorum insolentiam reprimentes, hac nostra constitutione sancimus; ut cum in ecclesiis prædictis missa conventualis, vel alia divina officia celebrantur, nullus cujuscumque gradus, vel conditionis existat, per ecclesias, quæ domus orationis sunt, eo tempore deambulare audeat. Si quis autem contrariam fecerit, tamquam divinorum officiorum perturbator expellatur; & alias arbitrio præsentis in ea ecclesia, si videbitur, puniatur.

C A P U T XXIV.

ANTONIUS Augustinus in synodo anno MDLXXXI.

*Quibus saltem diebus parochiani teneantur in sua parochia missas conventuales audire.*

**C**onstitutiones antiquas hujus nostræ diœcesis innovantes, negligentiaque nonnullorum obviare volentes, præsentis constitutione sancimus, & sub

& sub pœna excommunicationis minoris ipso facto incurrēda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis parochianis, vel subditis, qui nunc sunt, vel pro tempore erunt; ut saltem tertio quoque Dominico die, postquam ad annos discretionis pervenerint, missam conventualem integre in sua parochia, cessante legitimo impedimento, audiant. Pastores vero, & alii, qui ad pascendum greges, aliave jumenta sunt destinati, saltem alternis diebus Dominicis, sub eadem pœna excommunicationis minoris per eos, & eorum dominos, si eosdem impedierit, ipso facto incurrēda, eidem missæ conventuali in sua parochia interfint; ut rudimenta Fidei, & alia eorum salutis necessaria a suis parochis audire, & memoriæ mandare valeant.

## CAPUT XXV.

IDEM.

*In die Cene domini nostri Jesu Christi concio, & processio fiant de die, & non noctu.*

**Q**uia a fide dignis accepimus, feria quinta majori, quæ dicitur Cene domini nostri Jesu Christi, plura fuisse secuta in diversis partibus scandala; eo quod processio, & concio Passionis Domini nostri, quæ dicta die fieri, & haberi solent, fere in omnibus ecclesiis noctu, non autem de die fieri, & haberi solebant: ideo providere desiderantes, ne eadem, vel majora scandala in ecclesiis nostræ diœcesis hac de causa eveniant; præsentī constitutione sancimus, & sub pœna decem librarum ipso facto incurrēda omnibus, & singulis hujus nostræ diœcesis curatis mandamus; ne de cetero patiantur, ut dicta die processio, nec concio supradictæ noctu fiant, vel habeantur. Eisdem etiam curatis sub eadem pœna injungentes; ut non patiantur dicta feria quinta ultra unam missam in sua parochia dici, casu necessitatis excepto: neve ecclesias suas noctu apertas omnibus habeant, sed tantum clericis, aliisve viris honestis. Mulieribus vero sub excommunicationis pœna interdiciamus, ante auroram ingredi ea nocte ecclesias nostræ diœcesis.

## CAPUT XXVI.

IDEM.

*Aquæ benedictæ aqua rosacea, vel muscata, vel alia similis non immisceatur.*

**S**olent nonnulli in Missis novis, & aliis sollemnitatibus confraternitatum, & aliis similibus, dum aqua benedicta in dictis festis, & sollemnitatibus populo aspergitur, aquam odoriferam, & quam muscatam dicimus, permiscere, quæ omnia, experientia docente, tranquillitatem in celebratione divinatorum officiorum requisitam perturbare, & offendere solent. Quare prædictam consuetudinem, seu verius corruptelam a nostris ecclesiis avellere cupientes, præsentī constitutione sancimus, & sub pœna trium librarum ipsis curatis præcipimus; ne supradicta in sollemnitatibus, & festivitibus, quæ in suis parochiis celebrantur, fieri permittant. Sale enim solum benedicto misceri aqua naturalis debet, ut ab Helisæo Propheta factum est; idque est a beato Alexandro Papa constitutum, ut ea conspersi purificentur, atque santificentur.

## TITULUS VIII.

## DE SACRIS VASIS, AC ORNAMENTIS ALTARIUM, ET ECCLESIARUM.

## CAPUT I.

Ferdinandus Loazes in synodo anni MDLXVI.

*Altaria quomodo debeant onorari.*

**S**tatuimus, & ordinamus, ut altaria quæcumque & præsertim altare majus cujuscumque ecclesiæ tribus mappis, aut saltem duabus cum corporalibus mundis, atque decentibus ornetur, ac coopertorio ex corio nitido tegantur: & si Rector, Vicarius, seu beneficiatus, ad quem altaris cura spectat, contra fecerit, vel in his negligens fuerit; pœna trium librarum pro qualibet vice puniatur.

## CAPUT II.

IDEM.

*Qualia debent esse corporalia, & calices.*

**Q**uia corporalia serica a jure improbantur, eo quod commode mundari non possunt: hac nostrā constitutione sancimus; ut serica corporalia minime fiant, sed ex lino mundo conficiantur, & integra sint sine ullis foraminibus. Calices autem sint non ex ligno, non ex vitro, neque ex ære, vel plumbo, vel stagno; sed ex auro, vel argento tota superior sit calicis pars, qua sanguis Christi continetur: nec unquam presbyteri immundos, aut fractos; sed integros, ac mundos calices habeant. Si quis vero contra hanc nostram constitutionem quidquam attentare præsumperit; pro qualibet vice pœnam decem librarum incurrat.

## CAPUT III.

IDEM.

*Calices, & ecclesiastica ornamenta non vendantur.*

**I**nsuper statuimus, & ordinamus; ut calices, & alia ecclesiastica ornamenta sine nostro, seu nostri Vicarii generalis decreto in scriptis obtento, pro quacumque causa, seu pro quocumque debito nullatenus laicis vendantur, seu pignorentur: neque aliquibus laicis extra ecclesiam commodentur.

## CAPUT IV.

IDEM.

*Altaris ornamenta quando sint mundanda.*

**S**acerdotum negligentiam reprimentes statuimus, & ordinamus, ut a sacerdote, vel aliis clericis honestis corporalia, ac altaris ornamenta, cum opus fuerit, & ad minus in quattuor festis sollemnibus mundentur. Si contra factum fuerit, trium librarum pœnam illi, ad quos hujusmodi negotium pertinet, pro qualibet vice sustineant. Si vero corporalia fuerint usque adeo turpia, ut mundari minime possint; vel forsā adeo lacera, quod ministerio altaris deservire non possint, comburantur; & eorum cineres in sacrarium recondantur. Ampullæ quoque, quibus vinum, & aqua ministratur in altari, laventur quotidie: ut in omnibus munditia appareat, qua Dominus delectatur.

CA-

## CAPUT V.

IDEM.

*Ornamenta, & sacra vasa laici non tractent:  
& quomodo pax sit eis tribuenda.*

**C**UM res sacras tangere non nisi sacratis hominibus concedatur: synodo approbante hac nostra constitutione sancimus, ut sacra vasa, calices scilicet, chrisimatis vas, custodia Eucharistiæ, corporalia, reliquaque altaris ornamenta a laicis hominibus non tangantur, neque attrectentur: neque cum patena consecrata pax deferatur, sed cum cruce, vel alio vase, aut tabula picta, vel ex aliquo metallo facta, ad pacem dandum singulis commoda, unde etiam vulgo *Porta pau* nominatur.

TITULUS IX.  
DE OFFICIO SACRISTÆ.

## CAPUT I.

ANTONIUS August. in synodo an. MDLXXVIII. *Sacristæ ecclesiarum habeant vestimenta sacra, & ornamenta, & vasa munda.*

**C**UM nimis absurdum sit, sordes in sacris negligere, ideo præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis sacristis quarumcumque ecclesiarum nostræ diocesis, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint; ut omnia ornamenta, ac vestimenta, & vasa ad divinum cultum dedicata, munda, ac nitida habeant: amictusque, albas, & alia omnia linea vestimenta, saltem altero quoque mense mundent, seu mundari faciant, candidaque sacerdotibus celebraturis tradant; ut per externi candoris speciem interior ipsorum sacerdotum munditia denotetur. Quod si hac in re sacrista negligens fuerit, poena pecuniaria arbitrio nostro, seu nostri Vicarii generalis puniatur.

TITULUS X.  
DE SACRAMENTO ORDINIS.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

## ADMONITIO.

**C**UM ordinis sacramentum huc spectet, ut per illud in Ecclesiæ ministerium hi assumantur, qui doctrina, & vitæ sanctitate altissimo Deo inservire, sacraque munera persolvere, atque in via salutis populo lumen præferre valeant: idcirco curatis omnibus enixe præcipimus; ut quoties edictum aliquod de sumendis sacris ordinibus in ecclesia sua evulgabunt, de ejus sacramenti dignitate verba aliqua faciant; & parochianos suos moneant; ut si qui fuerint, qui aliquid adversus mores, vitamque illorum, qui promoveri desiderant, cognoscant; illud charitatis zelo Parocho suo secrete nuntiare non vereantur: ut hac ratione, & qui initiandi sunt, seu initiati jam erunt, ordinis dignitatem cognoscentes, eam vivendi rationem tenere studeant, quæ a suscepto, vel suscipiendo grado minime aliena sit; et ceteri fideles intelligant, quantum Ecclesiæ ministris honorem tribui oporteat. Parochus insuper interrogare curabit viros probos, & boni testimonii, apud quos ordinandus potiore parte transegerit; cujus Parochi, & testium in hac parte contentiam oneramus; an ordinan-

us bonis moribus sit præditus, an honestate conversationis, an natus ex legitimo matrimonio, an incestuosus sit, vel publice adulterium commiserit, aut concubinam habuerit, vel publicus aleator sit, an simoniacus, usurarius, homicida, percussor, seditiosus, bigamus, hæreticus, aut de hæresi suspectus, aut in fide novus, an irregularis sit, infamis apostata, excommunicatus, interdictus, aut suspensus, an publicam aliquam poenitentiam sustinuerit. Quorum testium depositiones sigillo proprio Rectoris clausas, & sigillatas volumus, ordinandum cum edicti præfati publicatione ad nos deferre, aut alias ad nos mitti.

TITULUS XI.  
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

## PROÆMIUM.

**M**atrimonii sacramentum a Deo ad humani generis propagationem institutum, ac deinde Jesu Christi domini nostri præsentia decoratum, pie, sancteque a fidelibus tractari oportet. Quare ut omnes morum corruptelæ in matrimoniis contrahendis magna hominum culpa introductæ omnino tollantur, Parochis jubemus, ut illud beati Augustini populo sæpe inculcent: nuptiale scilicet bonum tribus partibus contineri, fide, prole, & sacramento. Fide, ut sanctum conjugii fœdus numquam violetur. Prole, ut filii generentur, qui Dei auxilio a parentibus religiose educati, æternæ beatitudinis hereditatem accipiant. Sacramento, ut numquam conjugium separetur.

## CAPUT I.

IDEM.

*Qui matrimonium contraxerunt, non separentur sine licentia Ecclesiæ.*

**Q**uoniam tanta est quorundam hominum temeritas, ut contra sancta matrimonii jura a matrimoniali thoro, vel domicilio, vel ab ipso etiam matrimonio, quantum in ipsis est, discedere temere, ac flagitiose tentent. Ideo ne in re tam gravi, & sancta, quod sæpe accidit, graviter, & periculose peccetur, Parochi officium sit, si quos ejusmodi animadverterit, eos privatim trina monitione monere, ut ne quid tale præcipites audeant attentare. Quod si dicta monitione non obstante, uxores suas dicti temerarii homines dimiserint, præfatus curatus nos, vel nostrum Vicarium generalem certiore faciat: ut de competenti remedio providere valeamus.

## CAPUT II.

IDEM.

*Parochi nullos invitis parentibus matrimonio jungant, sine licentia Prælati.*

**Q**uamvis matrimonia, quæ invitis parentibus fiunt, non ideo irrita sint; quia tamen, quando illis invitis contrahuntur, pleraque mala & scandala oriri solent: his occurrere volentes, hac nostra constitutione sancimus, districteque præcipiendo mandamus; ne Parochus ullus eos, quos probabiliter sciverit, invitis parentibus matrimonium contrahere velle, matrimonio jungere, vel

vel alicui presbytero jungendi facultatem dare præsumat; neve presbyter ullus de Parochi facultate, quocumque prætextu aliquos invitis parentibus matrimonio copulare audeat; sed de ea re Ordinarius certiore reddat, ut, quid sit agendum, Ordinarius ipse mature deliberet. Si secus fecerit, tam proprius curatus, quam quilibet alius presbyter peccati mortalis reus teneatur, & nostro arbitrio puniatur.

## CAPUT III.

IDEM.

*Exteri, & ignoti ne a curatis sine Ordinarii licentia matrimonio copulentur.*

**S**I quando Parochi ad externos, ac ignotos matrimonio conjungendos vocati fuerint, etiam si alter eorum civis sit, hac nostra constitutione sancimus; ne id nobis inconsultis faciant dicti Parochi, vel eorum loca tenentes. Quod si contrarium fecerint, pœnam trium librarum incurrant.

## CAPUT IV.

IDEM.

*Sponsalia verbis futuri temporis contracta, sine licentia nostra non dissolvantur.*

**I**nsuper etiam, ut omnia illis, quibus decet, prudentia, & maturitate fiant: hac nostra constitutione statuimus, & ordinamus; ut sponsalibus inter aliquos verbis futuri temporis, ac jurejurando contractis, nullus audeat suam sponsam invitam relinquere, & cum alia contrahere, nisi prius dictorum sponsaliorum dissolutio a nobis, seu a Vicario nostro generali petita, & obtenta fuerit. Quam, si rationabilem invenerimus subesse causam, non denegabimus. Si quis autem contra hanc constitutionem attentare præsumpserit, arbitrio nostro punietur.

## CAPUT V.

IDEM.

*Communes preces ignorantes, & fidei substantiam, ne matrimonio jungantur.*

**U**T parochiani cujuslibet parochiæ ea, quæ pertinent ad instructionem Fidei sanctæ catholicæ, majori vigilantia studeant memoriæ mandare, statuimus, & ordinamus; ne Parochus, seu curatus aliquis inter eos matrimonia celebret, seu eos matrimonio jungat, quos verisimile sibi fuerit, vel propter rusticos mores, vel animi desidiam, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, & præcepta legis nescire; & ut magis plebem ad hæc perdiscenda moveant, se hoc decretum concilii nostri synodalis executioni mandaturos esse, plebi suæ, cum oportum fuerit, significant. Parochi vero contrarium facientes, ultra peccatum mortale, pœnam etiam trium librarum incurrant.

## CAPUT VI.

IDEM.

*Contrahentes matrimonium in gradu prohibito scienter, pro excommunicatis publicentur.*

**D**ecretis sanctæ Romanæ Ecclesiæ adherentes, temeritatemque, & audaciam nonnullorum refranare, & reprimere cupientes, præsentis constitutione sancimus, omnibusque curatis

nostræ diocesis districtè præcipiendo mandamus; ut cum primum ad eorum notitiam pervenerit, aliquos consanguineos, vel affinitatis gradu conjunctos, scienter, & malitiose matrimonium contraxisse, sub spe obtinendi a sede Apostolica dispensationem, eosdem pro excommunicatis in ecclesiis suis, sine alio nostro mandato, publicent, & denuntient, & pro excommunicatis ab omnibus haberi, & vitari mandent.

## CAPUT VII.

IDEM.

*Nuntiato impedimento, vel detecto inter contrahentes matrimonium, quid a Parocho agendum sit.*

**S**I impedimentum aliquod ad matrimonium contrahendum, facta aliqua monitione Parochus cognoverit, ad aliam denuntiationem, sive ad illius matrimonii celebrationem nullo modo progrediatur, nisi prius de hujusmodi impedimento, etiam si falsum, vel malitiosum videatur, nos, vel nostrum Vicarium generalem certiore fecerit; & quid in hac re faciendum sit, acceperit. Cum autem viri, ac mulieris nomina Parochus denuntiaturus est, ea non antea publicet, vel denuntiet in ecclesia sua; quam certo sciverit, dictos contrahentes, aut eorum parentes eisdem denuntiationibus libenter, & sponte assentire: qui si ad diversas parochias pertinent, satis erit, a proprio cujusque Parochi eum consensum cognosci, ejusque testificatione alteri Parocho id affirmari. Caveant etiam Parochi, ne alienæ parochiæ sponsum, sponsamve in matrimonium jungant, nisi prius a proprio illius contrahentis Parocho testimonium scriptum, & obsignatum habeat, quo sibi testatum sit, denuntiationes esse factas, aut voluntate, & licentia proprii Episcopi fuisse prætermittas; nullumque subesse impedimentum matrimonio contrahendo. Et cum his etiam licentiam obtineat ad dictum contrahentem alienæ diocesis matrimonio jungendum; ne alias incurrerent pœnas in concilio Tridentino contentas. Si vero Parochus, seu curatus ille, cujus testimonium, & licentia desiderantur, alienæ sit diocesis, præsertim extra regnum, vel provinciam, illa etiam, scilicet testimonium, & licentia desponsandi illius subditum, Episcopi loci illius sigillo sint munita, & recognita; deinde per nos, seu nostrum Vicarium generalem a quibus Parochus subditus noster, quid hac in re sibi faciendum sit, spectare debet. Quod si forsitan parochialis ecclesia, a qua testimonium, & licentia prædicta desiderantur, admodum remota sit, ita ut testimoniales literæ haberi commode non possint; tunc nihil sine nostra, vel Vicarii nostri generalis licentia curatus, in cujus parochia matrimonium contrahendum est, statuatur, ne quod sæpe contingit, ab hominibus incognitis, & incertas sedes habentibus plures ducantur uxores, aut receptæ deserantur.

## CAPUT VIII.

IDEM.

*Qui de licentia Prælati, antequam monitiones fierent, matrimonium ex causa contraxerunt, non cohabitent, donec dictæ monitiones postea*

*ea absoluta sint; & verba contrahentium  
alta voce proferantur.*

**U**T scandalis, quæ facile in dies evenire possent, obviamus; præsentis constitutione sancimus, & omnibus curatis nostræ diocesis præcipimus, & mandamus, ut quotiescumque ex nostra licentia, necessitate ita postulante, matrimonium inter aliquos ante denunciations publicas celebratum fuerit, moneant Parochi dictos conjuges, ut etiam tunc a cohabitatione, usuque matrimonii tamdiu abstineant, donec denuntiacionibus publice habitis cognitum plane sit, nullum subesse impedimentum: ne si quod ulu venire facile potest, impedimentum aliquod post contractam copulam deprehendatur, matrimonium dirimi cum gravi scandalo oporteat. Mandamusque etiam, ac præcipimus dictis curatis, ut eos, quos matrimonio conjungere sperant, non aliter jungant, nisi certo sciant, capitula matrimonialia inter eos inita, ab utraque parte firmata, & jurata fuisse: ac ad confitendum prius peccata sua moneant, & inducant, ut sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ante matrimonium recipiant. Et tempore contractus matrimonii inducant eosdem contrahentes ad proferendum alta, & intelligibili voce verba, quibus consensus utriusque exprimitur: ita ut a circumstantibus comprehendi, & intelligi valeant.

#### CAPUT IX.

IDEM.

*Quam pœnam incurrant publicantes banna turpia in contractu matrimonii secundo contrahentium.*

**C**UM in quibusdam hujus nostræ diocesis populis quædam inoleverit ab antiquo pessima consuetudo, seu verius corruptela, ut cum secundæ nuptiæ inter aliquos viduos contrahuntur, quidam maligno, & depravato spiritu ducti, banna quædam inhonesta facere, & publicare tripudia, choreas, & alia similia convicia attentare non verentur. Quæ omnia cum cedant in maximum vilipendium, contemptum, & irrisionem sacramenti matrimonii, ad propagationem generis humani a Domino nostro instituti, idcirco nos desiderantes hujusmodi abusum e medio tollere, & ea, quæ pertinent ad sacramenta sacrosanctæ matris Ecclesiæ illis, quibus decet, veneratione, reverentia, & religione ab omnibus tractari, hac nostra constitutione sancimus, & prohibemus, ne in posterum audeat aliquis cujuscvis status, gradus, vel conditionis sit, aliqua ex supradictis facere, sub pœna excommunicationis. Rectoribusque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut hanc nostram constitutionem, quam primum poterunt, populo sibi commisso, dum divina celebrabunt, publicent, & denuntient; & cum id e venerit, omnes moneant, & inobedientes a divinis arceant, aut nos, & nostros Vicarios generales certiores faciant.

#### CAPUT X.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Matrimonium contrahentes intra quattuor men-  
Tom. III.*

*ses benedictionis missam audiant.*

**Q**uia plerique matrimonia contrahentes, nuptiale sacrum, quod Missam benedictionis dicimus, in longum tempus procrastinando audire differunt, præsentis constitutione sancimus, ut quicumque matrimonium contraxerint, intra quattuor menses a die contractus matrimonii computandos, Missam benedictionis audiant. Qui vero contra hanc constitutionem dolose fecerint, tamquam præcepta, & ordinationes Ecclesiæ contemnentes, sententiam excommunicationis minoris incurrant. Mandantes Rectoribus sub pœna decem librarum, ut eos a divinis eiiciant: dum tamen eos bis ante interpellaverint, & hujus decreti sententiam declaraverint. Hæc autem constitutio contra secundo nubentes locum non habeat.

#### CAPUT XI.

IDEM.

*Clandestina matrimonia prohibentur.*

**C**landestina matrimonia a jure penitus reprobantur. Ideoque hac nostra constitutione sancimus, & sub pœnis in concilio Tridentino contentis præcipimus, atque mandamus, ut nullus posthac hujusmodi matrimonia clandestine contrahat, neque eisdem presbyter interfuit. Immo præcipimus cunctis Rectoribus, & Vicariis, ut per tres dies Dominicos, vel festos, ante quam matrimonia fiant, in suis parochialibus ecclesiis, dum divina celebrantur officia, eadem matrimonia populo denuntient, ut si quis aliquod impedimentum sciverit, illud revelare possit. Inhibentes etiam, & prohibentes ipsis contrahentibus sub pœna pecuniaria arbitrio nostro injungenda, & operibus piis largienda, ne dum dictæ tres monitiones fiunt, præsumant in domo puellæ, seu viduæ, cum qua contrahere volunt, sive in alia aliquo modo pernoctare, vel copulam cum ea contrahere.

*Quibus temporibus benedictiones nubentium fieri possint, seu celebrari; canon Concil. Trident. session. XXIV.*

**A**B Adventu domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas sollemniū nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus præcipit: in aliis vero temporibus nuptias sollemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut ea, qua decet, modestia, & honestate fiant, curabunt. Sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum.

#### CAPUT XII.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXXI.

*Contracturi matrimonium durantebus monitionibus non cohabitent.*

**A**Nimarum salutis, & reverentiæ sacramento matrimonii debitæ intendentes, nostra hac constitutione statuimus, & ordinamus, & singulis Rectoribus, & curatis hujus nostræ diocesis sub pœna decem librarum præcipimus, & mandamus: ne sine nostra, seu nostri Vicarii generalis licentia, eos matrimonio verbis præsentis temporis

poris jungant, quos intellexerint durantibus monitionibus cohabitasse, aut turpiter luisse. Quibus non aliter volumus per nostros Officiales licentiam contrahendi matrimonium inter se promissum dari, & concedi; quam si prius dictus audax contrahens unum ducatum solverit; & parentes, seu fratres, vel alii, quibus custodia dictæ uxoris futuræ commissâ est, alium ducatum solvant hospitali, si in dicta parochia reperiatur: vel pauperibus ejusdem loci arbitrio Rectoris, seu curati applicandos.

TITULUS XII.  
DE SECUNDIS NUPTIIS.

CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXXI.

*An, & quando in nuptiis secundis benedictio  
& missa nuptialis celebranda sit.*

Quia circa missam, & benedictionem secundarum nuptiarum quandoque dubitari contingit: ideo decretis Romanorum Pontificum, & frequentiori doctorum hominum opinioni ad hærendo, præsentî constitutione sancimus, & ab omnibus hujus nostræ diocesis curatis observari præcipimus, ut quotiescumque eis constiterit, ambos contrahentes, vel saltem mulierem in missa nuptiali benedictionem accepisse, non iterum eis benedicant; sed celebrata coram eisdem aliqua ejus diei, vel alia missa, in fine illius legatur illis oratio sequens: *Omnipotens sempiternæ Deus miserere famulis tuis, & dirige eos secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant: per Christum dominum nostrum. Amen.* Si vero mulier non erit vidua, aut in priori matrimonio benedictionem nuptialem non acceperit, licet contrahens cum ea eam jam acceperit, juxta Hispaniæ consuetudinem, secundum formam ab Ecclesia Romana traditam, missa nuptialis, & benedictiones dicantur. Contrarium vero facientes arbitrio nostro punientur. Irregularitatis, & suspensionis pœnas, quas canones non ipso jure, sed Ordinariorum arbitrio committunt, in contumaces, aut sæpius delinquentes reservantes.

TITULUS XIII.  
DE LAICIS ADULTERIS, ET  
CONCUBINARIIS.

CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Laici adulteri quomodo a propriis curatis sint  
monendi.*

Quia plerique conjuges, abjecta pudicitia conjugali, non verentur adulterii detestabile crimen committere, & in plurimorum scandalum tantique sacramenti dedecus, in adulterinis amplexibus commorari: nos volentes eorum saluti providere, cunctis nostræ diocesis Rectoribus, curamque animarum gerentibus districte præcipiendo mandamus; ut quotquot in tam horrendo crimine, & adulterinis, ac concubinariis amplexibus illaqueatos invenerint, moneant, & hortentur, ut intra decem dies a tam enormi crimine prorsus discedant: quod si moniti inobedien-

tes in peccato perseveraverint, quamdiu in peccato permanerint, tamdiu ad ecclesiastica sacramenta non admittantur; atque post mortem, nisi de præmissis pœnitentiam egerint, ecclesiastica sepultura priventur. Si vero Rectores, aut curati tales monere neglexerint, a nobis, seu a nostro Vicario generali pro qualitate culpæ puniantur. At si propter timorem, vel aliquorum potentiam id exequi non audebunt, suis nos litteris consulant, delinquentiumque nomina denuntient, ut contra eos Ecclesiæ remediis procedamus.

*Canon session. XXIV. Concil. Trident. super eadem materia.*

Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, & in hujus magni sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare ut huic tanto malo sancta synodus oportunis remediis provideat, statuit, ut hujusmodi concubenarios, tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis, ac conditionis existant; si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinato per annum censuris neglectis permanerint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur: & extra oppidum, vel diocesium, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, eiiciantur. Aliis pœnis contra adulteros, & concubenarios inflictis in suo robore permanentibus.

TITULUS XIV.  
DE EXTREMA UNCTIONE.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXVIII.

ADMONITIO.

Sicut clementissimus Redemptor noster divina in aliis sacramentis præsidia fidelibus paravit, ut se integros ab omni graviore spiritus incommodo conservare possent, dum viverent: ita extremæ unctionis sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam, cælestique præsidio munivit. Quare in eo ministrando omnem curam Parochus ponat; & quæ hac constitutione præscribimus, quam diligentissime perficiat. Sacramentum igitur hoc Parochus administraturus, pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta omnino, si fieri potest, præmittat; ut sit ægrotus ad id suscipiendum magis munitus. Quod si sacramenta alia propter loquendi, aliorumque sensuum amissum usum præmitti non poterunt, non ideo sacramentum hoc denegabitur. Hoc tamen ab omnibus curatis perpenso, summoque opere attento, quod quoties id fieri poterit, ægrotis hujusmodi sacramentum conferant, dum sensibus, & ratione vigent, ver-

bil-

bisque Christianæ charitatis plenis illum prius consolentur, & brevi oratione moneant; ut pro ægritudine, quam divina voluntate patitur, gratias optimo Deo agat, mentem a terrenis avocet, atque ad æternam felicitatem piis omnibus paratam erigat, Redemptoris clementissimi misericordiam maxime fidat, quam se una cum his, qui adsunt, ei deprecaturum polliceatur. Illud memoriæ retinendo, hujusmodi sacramentum non esse necessarium pueris rationis usu, & culpa carentibus, nec amentibus, & furiosis, nisi dilucida habuerint intervalla, conferendum: cum certum sit, illud ad peccatorum reliquias sanandas a Domino nostro institutum fuisse.

## T I T U L U S XV.

## DE TESTAMENTIS, ET CODICILLIS.

## C A P U T I.

ENNECUS Archiepiscopus in synodo anni  
MCCCLXXXVIII.

*Licet clericis de bonis suis condere testamentum.*

**S**TATUIMUS, & præsentem constitutionem in perpetuum valitura cum consilio, & assensu Capituli nostri ordinamus, ut omnes, & singuli clerici sæculares in ecclesiis civitatis, & diocesis nostræ Tarraconensis beneficia ecclesiastica cum cura, vel sine cura obtinentes, & presbyteri etiam dictarum civitatis, & diocesis nostræ nulla beneficia habentes, de omnibus bonis suis, etiam intuitu Ecclesiæ, seu beneficiorum suorum, vel alias qualitercumque acquisitis, in sua ultima voluntate disponere possint, & ordinare, ac etiam distribuere, pro libito suæ voluntatis: eisque hoc per præsentem indulgemus, ac licentiam plenariam impartimus, omni ordinatione, seu constitutione per nos, seu prædecessores nostros in contrarium edita, in totum abolita, & cassata. Hoc tamen excepto, quod de vasis vinariis, bladariis, & oleariis, in quibus vinum, bladum, vel oleum ecclesiarum, seu beneficiorum reservari solet; quæ penes ecclesias, seu beneficia volumus remanere, etiam si ab eisdem clericis empta, vel acquisita fuerint: & exceptis aliis ornamentis, rebus, vel suppellectilibus, quæ in domibus beneficiorum invenerunt tempore adeptæ possessionis. Provisio tamen, & adjecto, quod clerici in dicta sua ordinatione, seu ultima voluntate recognoscant Prælatum suum Archiepiscopum Tarraconensem in duodecim denariis monetæ Barcinonensis pro libra taxæ beneficiorum, quæ tempore sui obitus in diocesi Tarraconensi obtinebunt. De beneficiis vero non taxatis recognoscant in duodecim denariis dictæ monetæ pro libra veri valoris; qui valor intelligatur, secundum quod in talliis communibus ipsa beneficia solvere consueverunt. Presbyter autem nullum beneficium obtinens, in sua ultima voluntate recognoscat Archiepiscopum, qui pro tempore erit, in quindecim solidis dictæ monetæ; & his contenti nos, & successores nostri in bonis dictorum clericorum, aliquid ultra petere, seu exigere non possimus: cum ex hoc conditionem nostræ mensuræ meliorem faciamus. Statuimusque etiam, prædictum Archiepiscopum, qui pro tempore erit, in his, cæteris creditoribus & legatariis tempore, & jure potiorum esse. Huic

constitutioni adnectentes, quod executores dictarum ordinationum, vel ultimarum voluntatum, intra unius mensis spatium a die obitus ipsorum clericorum computandi, coram Archiepiscopo, seu Vicario ejus in spiritualibus & temporalibus ostendere per se vel alium in publica forma dicta testamenta, seu codicillos teneantur; eidemque solvere illud, quod secundum tenorem hujus constitutionis debetur. Et si forte in sua ultima voluntate clerici ipsi præfatam quantitatem non recognoverint Archiepiscopo patri suo, dum tamen eorum manumissores eandem summam a clerico relictam solverint, ordinationes, seu dispositiones hujusmodi propterea nullatenus irritentur, seu de nullitate arguantur: immo ordinationes dictorum clericorum, seu presbyterorum perinde valeant, ac si ipsi clerici, & presbyteri dictam summam Archiepiscopo patri suo recognoverint. De bonis autem patrimonialibus vel quocumque modo intuitu personarum per ipsos clericos acquisitis, suam ipsi clerici, & presbyteri faciant voluntatem libere, cum hoc eis sit a jure permissum.

## C A P U T II.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI.

*Legata pia infra annum compleantur.*

**Q**uia in hac nostra Tarraconensi diocesi complures hæredes, ac manumissores sua potius, quam pia curantes, testamentum voluntates maxime pias, quæ pro lege servari debent, adimplere negligunt, suisque machinis in proprios usus pia legata convertunt: hac nostra constitutione sancimus, & cunctis defunctorum hæredibus, ac manumissoribus sub excommunicationis pœna mandamus, ut intra annum a die testantis obitus computandum, omnia pia legata, & alia relicta compleant, ac nullo modo differant.

## C A P U T III.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni

MDLXXXI.

*Nullus impediatur volentes peccata sua confiteri, vel testamentum, vel codicillos condere.*

**A**udaciam, & temeritatem nonnullorum repri-  
norum impulsu, non verentur uxores, filios, vel filias, vel alias similes personas sibi conjunctas, seu alias quascumque, quovis quæsito colore, seu respectu impedire, & perturbare, quominus testamentum, vel codicillos libere ordinare, & de rebus suis ad nutum disponere valeant; aut, quod deterius est, ne suas conscientias exonerent, & peccata confiteantur, aut restituant aliena: præsentem constitutionem statuimus, & prohibemus, ne quis cujusvis status, aut conditionis existat, directe, vel indirecte per se, vel per alium de cætero publice, vel occulte impediatur; quominus curati, & alii quicumque sacerdotes, & notarii libere intrent ad visitandum infirmos volentes peccata sua confiteri, vel de rebus suis ordinare, & disponere. Si qui vero contra fecerint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, a qua absolvi volumus, donec præfati impediens pœnitentiam gravem arbitrio nostro pro qualitate delicti injungendam sustinuerint.

## TITULUS XVI.

## DE SEPULTURIS.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXVIII.

*In ecclesiis nulla corpora sepeliantur sine licentia Ordinarii.*

**M**orem, seu consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit, ut corpora quorumcumque laicorum defunctorum in ecclesiis sepeliantur, improbantes, & e medio tollere volentes, præfenti constitutione universis, & singulis curatis hujus nostræ diocesis præcipimus, & mandamus, ne in eorum ecclesiis permittant corpora laicorum defunctorum sepeliri sine licentia nostra, vel nostri Vicarii generalis, nisi in sepulchris majorum, vel propinquorum. Nova vero sepulchra,

per quæ ecclesiarum pavimenta deturpari, & deformari solent, de cætero omnino fieri prohibemus; nisi ex justa causa a nobis, seu nostro Vicario generali approbata. Rectores vero contrarium permittentes pœnam trium librarum incurrant.

## CAPUT II.

IDEM.

*Corpora defunctorum ne exhumentur sine licentia Ordinarii.*

**S**candalis, quæ in dies eveniunt, obviare desiderantes, hac nostra constitutione ordinamus, ac prohibemus; ne curam animarum exercentes in quibuscumque ecclesiis hujus nostræ diocesis sub pœna sex librarum permittant, ut corpora defunctorum, quæ in ecclesiis, vel cœmeteriis suarum parochiarum sepulta sunt, sine nostra seu Vicarii nostri generalis licentia, ex quacumque causa exhumentur.

## Pars Tertia.

## TITULUS I.

## DE ECCLESIIS, ET CAPELLIS.

## CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Capellæ non ædificentur sine licentia Ordinarii.*

**I**n visitatione nostri Archiepiscopatus quamplurimas capellas vidimus ob negligentiam fundatorum destructas funditus, & solo æquatas; nonnullas etiam receptacula pecudum factas, ex quibus Deus offēditur, & Christianorum devotio valde minuitur. Ne igitur tantam posthac rerum sacrarum nostris oculis jacturam, & contemptum contemplerur, hac constitutione sancimus, ut nullus in posterum sine nostra, vel nostri Vicarii generalis facultate, capellas fundare, aut ædificare audeat: neque Rectores in suis parochiis, sub pœna decem librarum, illas fieri permittant, seu construi. Vicarios vero nostros generales volumus has licentias concedere, nisi fundantes sufficientem dotem pro reparatione, & conservatione dictarum capellarum, & ornamentorum earundem præbuerint. Idem dicimus de restauratione jam destructarum capellarum. Et valde caveatur, ne Dominicis diebus, & festivis propter capellas officia divina in parochiis minus frequententur.

## CAPUT II.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXXI.

*Oratoria domorum privatarum a curatis illius parochiæ singulis annis visitentur.*

**P**ræterea etiam statuimus, & ordinamus, ut Rectores, & alii quicumque curati, quoties intelligent oratoria aliqua in domibus aliquorum parochianorum suorum constructa esse, illa se-

mel, vel sæpius unoquoque anno visitare curent, ac examinare; an quibus decet, honore, & reverentia tractentur. Quod si forsan imagines aliquas inhonestas, vel alia indecentia, seu turpia in eisdem invenerint, corrigant, & emendent; & nos seu nostrum Vicarium generalem in virtute sanctæ obedientiæ certiores reddant. Missas autem in eis celebrari nullo modo permittant, sine nostra licentia in scriptis obtenta.

## TITULUS II.

## DE CONSECRATIONE, ET BENEDICTIONE ECCLESIARUM, ET CAPELLARUM.

## CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Presbyteri Episcoporum benedictionibus in ecclesiis, capellis, cœmeteriis, & aliis sanctificandis non utantur.*

**A**d nostrum pervenit auditum, nonnullos presbyteros ausu temerario sollempnibus Episcoporum benedictionibus uti, cœmeteria, campanas, & ornamenta ecclesiastica benedicere, & quod damnabilius est, ecclesias, & capellas quandoque etiam consecrare, seu benedicere, & reconciliare. Quæ omnia cum presbyteris sint prohibita, cum non possint sanctum chrisma, nisi in parvulorum baptismo tractare, sancimus, & cunctis nostræ diocesis presbyteris præcipiendo mandamus, ut benedictiones sollempnes in sine missarum non dent populo missas eorum audienti; nec consecrationes, vel benedictiones ecclesiarum, capellarum, vel ornamentorum, aut alia suprascripta faciant sine licentia in scriptis a nobis vel nostro Vicario generali obtenta. Qui vero contrarium fecerit, pœnam decem librarum incurrat.



TITULUS III.  
DE IMMUNITATE ECCLESiarUM,  
ET CEMETERIORUM.

## CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Quomodo tractanda, & veneranda sint loca  
sacra.*

CUM loca sacra maximopere venerari debeamus, & multoties contingat, animalia bruta illuc intrare, & quod turpius est, in eisdem morari, & stabulari: præsentis constitutione sancimus, & omnibus nostræ diocesis Rectoribus, & curatis mandamus, ut diligenter curent, ut omnes ecclesiæ, & capellæ, nec non eremitoria, & oratoria, seu quævis alia loca consecrata, seu benedicta, in eorum parochiis existentia, noctu, dieque nisi divina celebrentur officia, ab illis, ad quos hujusmodi negotium pertinet, claudantur; ac illis, quibus decet, reverentia, & veneratione ab omnibus tractentur. Cæmeteria quoque parietibus circumdantur, ne possint a brutis cadavera conculcari, & laniari. Quod si is, ad quem talium locorum custodia pertinet, in prædictis negligens fuerit, tam ipse, quam Rector ejus parochiæ pœnam quinque librarum patiat.

## CAPUT II.

IDEM.

*Victualia in ecclesiis non reponantur.*

SOlent in ecclesiis tam clerici, quam laici frumentum, hordeum, vinum, oleum, & hujusmodi fructus recondere, & ecclesias ipsas, quæ domus orationis sunt, profanare. Quapropter hac nostra constitutione sancimus, ut nullus cujuscunque status, aut conditionis existat, prædicta facere audeat. Quod si quis ausu temerario contra fecerit, res ipsas, quas pauperibus & reparationi ejusdem ecclesiæ applicamus, amittat: & insuper pœnam decem librarum incurrat.

## CAPUT III.

IDEM.

*In ecclesiis nullæ negotiationes fieri debent; nec concilia laicorum convocari: nec ludi, & saltationes prope illas exerceri.*

INolevit in multis nostræ diocesis ecclesiis abusus, ut laici concilia, & cœtus in ipsis sacris templis convocent, & congregent, & in eis profana negotia tractent, & proponant, jurgiisque & maledictionibus, & quandoque blasphemis maximo cum tumultu inter se contendant. His igitur abusus obviare volentes, præsentis constitutione sancimus, & cunctis Rectoribus nostræ diocesis sub pœna decem librarum præcipimus, ne similes congregationes, seu convocationes conciliorum, sive parlamentorum in ecclesiis suæ parochiæ fieri permittant: nec prope illas ludos aliquos exerceri, choreas, vel saltationes, nec alia similia duci sinant. Et si laici forsan in his obedire Rectori recusaverint, a divinis officiis a dictis Rectoribus repellantur.

## CAPUT IV.

IDEM.

*De fenestris, quæ in templorum parietibus fieri solent.*

SOlent nonnulli templorum parietes perforare, sibi que fenestras facere, e quibus sacra audire possint. Cumque ex eo scandala, & incommoda multa ecclesiis accidant, hæc in posterum fieri prohibemus: curatisque & clericis districtè præcipimus, & mandamus, ne deinceps facultatem ad id cuiquam concedant. Quæ vero fenestræ hætenus sunt apertæ, a nostris visitatoribus visitentur; & in his abusus omnes tollantur.

## CAPUT V.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXVIII.

*In ecclesiis, & capellis nocturnæ vigilia fieri prohibentur.*

ET si fideles olim similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, Sanctorum vigilias in ecclesiis pernoctando, & orationibus instando observaverint: videns tamen sancta mater Ecclesia tam laudabilem usum in perniciosum abusum, & orationes illas ignitas, cæteraque pietatis opera in commelationes, impudicitias, & alias abominationes mutata, nec ad primam suæ institutionis perfectionem reduci posse, sed in dies pejora fieri, in opprobrium Jesu Christi, & Sanctorum ejus; illas noctis vigilias, Spiritu sancto edocta, in jejunia commutavit. Quia vero hujusmodi vigilias per civitatem & diocesim nostram in aliquorum Sanctorum festivitibus adhuc inhoneste observari novimus, non sine magno animarum periculo: cupientes igitur malorum occasionem auferre, sancta matris Ecclesiæ vestigia sequentes, tanto errori paterna charitate succurrere censuimus: præsentique constitutione sancimus, ac omnibus, & singulis ecclesiarum Rectoribus & curatis nostræ diocesis districtè præcipimus, & mandamus, ne in eorum ecclesiis hujusmodi vigilias, quavis causa, etiam voti prætextu fieri permittant, sub pœna decem librarum a contra facientibus incurrenda.

## TITULUS IV.

DE REBUS ECCLESIAE NON ALIENANDIS,  
LOCANDIS, VEL PIGNORI  
TRADENDIS.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXXI.

*Res ecclesiarum, & beneficiorum prohibentur alienari, locari, seu pignori dari.*

QUIA hominum avaritia, seu cupiditate multorum malorum radice, ducente, sæpe personæ ecclesiasticæ bona, & res suarum ecclesiarum, seu beneficiorum, non servata forma ab Ecclesia Romana tradita, vendunt, locant, vel pignori tradunt, propter quæ & ipsi censuras graves incurrunt, & patrimonia ecclesiarum, & beneficiorum maximum decrementum, & diminutionem patiuntur: ideo volentes eorum cupiditati obviare, prædictaque bona, & res ecclesiarum, & beneficiorum in pristinum, si fieri potest, statum reducere; innovantes hac nostra constitutione omnes, & singulas censuras, & pœnas tam a Romanis quibuscumque Pontificibus, quam a prædecessoribus nostris contra prædicta facientes indictas, & publicatas; sancimus, & prohibemus,

ne

ne aliquæ personæ ecclesiasticæ prædia, vel fructus, redditus, & proventus aliquos, seu emolumenta suarum ecclesiarum, vel beneficiorum alicui ultra tempus trium annorum locent, vel conducant; nec etiam easdem res alienent, vel pignori alicui tradant, sine licentia expressa Romani Pontificis; vel si ornamenta fuerint, quæ usu consumantur, sine licentia Archiepiscopi pro tempore existentis. Qui vero contrarium fecerint, ultra id, quod damna suis inconsideratis, & invalidis locationibus, alienationibus, & pignorationibus suæ ecclesiæ, seu beneficio illata ex suo proprio patrimonio emendare, & reficere tenebuntur, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant, a qua nisi restitutione facta absolvi non poterunt; & alias graviores pœnas arbitrio nostro, vel successorum nostrorum dictis de causis injungendas sustinebunt.

TITULUS V.  
DE HOSPITALIBUS.

CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXXI.

*Quæ personæ sint in hospitalibus pauperum admittende, & recipiende.*

Quia maximum est inconveniens, ut domus hospitalium, quæ ad pauperes Christi colligendos, & hospitandos institutæ, & fundatæ sunt, nonnumquam speluncæ, & receptacula fiant latronum, concubinariorum, vagabundorum, & quod fortius est, quandoque personarum a fide sancta catholica deviantium; ideo consulere, & providere desiderantes, ne in dictis domibus alii, quam veri pauperes recipiantur, quales sunt senes, infirmi, claudi, cæci, & alii similes, qui suis laboribus ad vitam necessaria comparare nequeunt: præsentī constitutione sancimus, & omnibus villarum, seu locorum bajulis, juratis, & gubernatoribus, quocumque nomine nuncupentur, sub pœna excommunicationis, quam si in his negligentes fuerint, eos incurere volumus, præcipimus, ut quolibet anno die Circumcisionis domini nostri Jesu Christi, aut alio die consueto nomen aliquam personam idoneam, cujus ordine, & mandato, & non alias pauperes in hospitali illius villæ, vel loci recipiantur. Rectoribusque sub pœna decem librarum præcipimus, ut hujusmodi constitutionem singulis annis dicta die eisdem gubernatoribus in missa majori publicent. Nominata vero persona diligenter curet, ut non alii admittantur, quam quos supra diximus; aut si devotos peregrinos hospites unius diei esse cognoverint: imploratoque auxilio tam ecclesiastico, quam sæculari, contra criminosos procedat.

TITULUS VI.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni  
MDLXVI.

*Nullus prædicare permittatur, nisi licentiam in scriptis ostendat.*

CUM inter suprema Ecclesiæ negotia sit verbum Dei prædicare, Evangelium exponere,

& declarare; idque munus non quibuscumque, sed iis solummodo committi debeat, qui ad illud exercendum idonei judicati sint: cumque ad Episcopum pertineat populo prædicare, & prædicatores peritos ad id munus subeundum deligere: ad evitanda pericula, quæ ex prædicatorum ignorantia proveniunt, hac synodo approbante statuimus, ut posthac sub excommunicationis pœna nulli etiam regulari, vel quomodolibet exempto sanctum Dei Evangelium in ecclesiis hujus diocesis declarare, docere, aut prædicare liceat, nisi prius a nobis, seu a nostro Vicario generali fuerit probatus, & facultatem in scriptis ad prædicandum obtinuerit, & curatis ostenderit. Rector vero, qui sine licentia aliquem ex prædictis in sua parochia prædicare permiserit, pœna decem librarum puniatur.

CAPUT II.

IDEM.

*De charitate prædicatori offerenda.*

Multoties in aliquibus festorum sollempnitatibus decuriones, aut jurati sacri Evangelii concionatores ad id munus a nobis approbatos ad concionem advocant, eisque committere elemosynæ loco pro labore concionis quinque solidos nostræ monetæ largiuntur, quibus se ipsos, & jumenta vix sustentare possunt. Hac igitur constitutione sancimus, ut posthac hujus elemosynæ stipendium sit, pro itineris, & corporis labore, ad minus duodecim solidorum, quibus concionator & jumentum conducere, & se ipsum sustentare possit. Qui vero intra oppida, in quibus continuo degunt, prædicare rogantur, accipiant id, quod sponte eis fuerit oblatum; gratis enim debent verbum Dei prædicare.

CAPUT III.

ANTONIUS August. in synodo an. MDLXXVIII.  
*Curati diebus Dominicis, & festis exponant populo contenta in Evangelio illa die decantata.*

CUM diebus Deo dicatis id in primis a fidelibus Ecclesia deposcat, ut omnes in templum Dei ad divinum verbum audiendum conveniant, quibuscumque ecclesiarum parochialium Rectoribus seu præfectis ad Tridentini concilii præscriptum jubemus, ut diebus saltem Dominicis, aliisque festis sollempnibus Evangelium, monitaque alia ad animarum salutem pertinentia, populo quisque suo, qua poterunt sermonis brevitate, ac facilitate, declarent; homilias, librosque alios ad hanc rem idoneos, juxta propriam cujusque idoneitatem habeant.

CAPUT IV.

IDEM.

*Clerici, & beneficiati, dum concio fit, seu verbum Dei prædicatur, non ambulent in ecclesia, vel extra illam.*

CUM exempla boni operis a sacerdotibus procedere debeant, dicente Domino: „Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est“; mandamus omnibus hujus diocesis presbyteris, & beneficiatis, ut dum in ecclesia hac nostra, vel in alia quacumque hujus

no-

nostræ diœcesis verbum Dei prædicatur, ipsi nisi circa parochias suas, vel nisi alio iusto sint impedimento detenti, ad id audiendum accedere debeant; & non per vicos ac plateas cum magno laicorum scandalo vagari, & deambulare. Valde enim nefarium est, & turpe, si ipsi, qui ad id laicos hortari deberent, negligentia sua, ac quasi quodam divini verbi contemptu, ipsos ab hoc retrahere nitantur. Quod si quis contrarium fecerit, pœna trium librarum pro qualibet vice punietur, vel distributionibus illius diei privabitur; ut magis nobis, vel aliis præsidibus expedire visum fuerit.

TITULUS VII.  
DE OBLATIONIBUS.

CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI. *Denegantes oblationes Rectoribus qua pœna puniantur.*

**Q**uia nonnulli vitiorum laqueis innodati, adeo Rectorum, & aliorum curatorum monitionibus exasperantur, ut oblationes illis offerri solitas denegent, & quod detestabilius est, cum aliis diabolica conjuratione conspirant, ne in posterum Parocho similes oblationes offerant. Hac igitur nostrâ constitutione sancimus, tanto morbo medelam congruam adhibere desiderantes, & sub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus cunctis hujus nostræ diœcesis fidelibus, ut ab hujusmodi diabolicis conjurationibus se abstineant. Quos omnes pastoralis benignitate hortamur in Domino, ut ardentius eadem oblationes offerant; sperantes earum præmium, & remunerationem ab eo, qui in centuplum omne bonum remunerare solet.

CAPUT II.

IDEM.

*Ut oblationum non fiant licitationes.*

**S**olent in nonnullis ecclesiis nostræ diœcesis Rectores, seu Vicarii certis anni festivitibus oblationes juvenibus, seu confraternitatibus donare; juvenesque placentas, quæ vulgo coques appellantur, a mulieribus, seu puellis donatas signant, & postea de illis publice licitationem, conventionesque minus honestas faciunt. Proptereaque Rectoribus, & aliis quibuscumque curatis sub pœna decem librarum mandamus; ut posthac oblationes hujusmodi juvenibus, seu confraternitatibus ad dictas licitationes faciendas minime largiantur; neque placentas per ecclesiam proicere audeant.

TITULUS VIII.  
DE DECIMIS, ET PRIMITIIS.

CAPUT I.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI. *Non solventes decimas, & primitias, & fraudem in solutione illarum committentes, excommunicantur.*

**Q**uia permulti suarum animarum obliti, decimas, & primitias integras solvere recusant, eas quandoque occultando, ideo nos tanto malo obviare volentes, generalibus, atque provincialibus conciliis adhærentes, cunctis nostræ diœcesis Rectoribus, Vicariis, atque curatis hac

nostrâ constitutione præcipimus, ut posthac singulis annis nostrâ in provinciali concilio decreta diebus, ac festivitibus ibidem expressis, parochianis suis, dum divina peraguntur officia, publice legent, & non solventes decimas, vel primitias, vel easdem defraudantes, excommunicatos denuntient; eosque ab excommunicatione non absolvant, nisi integre prædictas decimas, vel primitias solverint, ac de solutione fidem fecerint.

CAPUT II.

IDEM.

*Laici non ingerant se collectioni decimarum, vel primitiarum; sed liberum sit Rectoribus suos fructus colligere.*

**D**etestabili, ac prava consuetudine est introductum, ut Barones, & quarumdam villarum domini, sive eorum ministri ingerant se ad exigendas decimas, & primitias, quæ nobis, aut Rectoribus, aut Curatis, vel potius Deo, & Ecclesiæ debentur, quo fit, ut jurgia, ac scandala multoties oriantur. Cupientes igitur hunc abusum e medio penitus avellere, hac synodo approbante sancimus, & prohibemus, ne posthac Barones ipsi, vel castrorum domini, vel alii laici nostræ diœcesis ecclesiarum Rectorum, Vicariorum, & quorumcumque ecclesiasticorum decimas, vel primitias exigant ullo modo, sed eas ipsismet Rectoribus, Vicariis, & aliis, quibus debentur, libere colligendas relinquunt. Quod si contrarium fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant. Et a dictis Rectoribus, seu curatis in suis parochiis, sub pœna decem librarum, pro excommunicatis publicentur: aut si laicos potentes timeant, ad nos referant, nostramve Vicarium generalem.

TITULUS IX.

DE CENSIBUS.

CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

*Beneficiarii recognoscant census suorum beneficiorum intra sex menses, & postea intra decennium, & de luitionibus censuum.*

**E**x nonnullorum relatione accepimus, quod tam ecclesiarum, quam ecclesiasticorum beneficiorum census, redditus, atque proventus in dies deminuuntur, tum propter clericorum, atque administratorum negligentiam, tum propter quorundam potentiam, qui tales census, & redditus solvere recusant: cumque hæc in magnam ecclesiarum, & beneficiorum perniciem, & divini cultus damnum perpetrentur: hac nostrâ constitutione sancimus, ut cuncti piarum causarum administratores, & quorumcumque ecclesiarum Priores, Rectores, Vicarii perpetui, ac beneficiarii omnes, sub decem librarum pœna, infra sex menses a die possessionis computandos, catalogos sive capitula dictorum censuum, & emolumentorum beneficiorum ecclesiasticorum, vel piarum causarum faciant: illaque decimo quoque anno renoveant, seu de novo faciant. Si vero luitiones censualium fieri contigerit; pecunias nec ipsi, nec patroni dictorum beneficiorum ullo modo recipiant:

piant: sed in archivo, five thecario Officialatus cathedralis ecclesie predictae pecuniae reponantur; & inde sine nostro, seu nostri Vicarii generalis decreto non extrahantur. Quod si luitiones aliqua secus actae reperiantur, vel in futurum fiant, eadem cassas, irritas, ac nullas esse volumus, atque decernimus. Et si forsā beneficia illa, quorum possessionem adepti fuerint, ornamenta aliqua habuerint, beneficiatus de novo provifus, sub poena trium librarum, de eisdem inventarium manu alicujus personae publicae faciat; illudque inter scripturas dicti beneficii diligenter custodiat: quod quidem inventarium infra mensem a die adeptae possessionis sub dicta poena fieri mandamus, & in visitationibus visitoribus ostendi.

## C A P U T II.

IDEM.

*Si propter negligentiam beneficiatorum census, & redditus perdantur, ipsi rescicere teneantur.*

**I**tem statuimus, & sub excommunicationis poena cunctis clericis, presbyteris, & beneficiatis quarumcumque dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum praecipimus, & mandamus; ut annuatim suorum beneficiorum redditus, census, proventus, & alia quaecumque emolumenta exigant, & in ipsis exigendis, nulla habita personarum exceptione, diligentes se praebant. Quod si negligentes, & acceptatores personarum eos fuisse constiterit, censusque ac redditus propter eorum negligentiam deperditi fuerint; de eorum propriis bonis omne damnum ecclesiis, aut beneficiis suis illatum, ut jure cautum est, emendare teneantur.

## C A P U T III.

IDEM.

*Quomodo dignitatum, & quorumcumque beneficiorum domus reparari debeant.*

**Q**uoniam curatorum beneficiorum domus, ac etiam illae, quae dignitatibus, canonicatibus, vel aliis beneficiis sunt annexae, possessorum incuria eo redigi solent, ut ruinam plane minentur, & aliquando omnino etiam concidant: hac synodo approbante praecipimus, & ordinamus; ut simul atque beneficii curati, vel alterius beneficii, cui domus aliqua sit annexa, possessionem aliquis acceperit, sedulo statum ipsius domus perpendat; quam si ruinofam viderit, ac reparatione aliqua indigentem, taxandum, atque aestimandum omnino curet, quanti domus ipsa instaurari possit: & ex bonis defuncti curati, vel beneficiati eam reparari, ac rescicere faciat. Qua in re procuranda, & conficienda, si negligens fuerit, sciat se a nobis cogendum, ut propriis impensis domum ipsam instauraret; ut ita & suae negligentiae poenam ferat, & domus ipsa, ut par est, rescicatur.

## T I T U L U S X.

DE FESTORUM DIERUM CULTU, AC JEJUNIORUM OBSERVATIONE.

## C A P U T I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

*Curent Rectores, ut dies festi a suis parochianis religiose colantur.*

**D**ies festos, qui vel Ecclesiae praeepto, vel publico voto, vel probata consuetudine servantur, ex sacrorum canonum jure atque summorum Pontificum constitutionibus, Parochi, seu curati populum sibi commissum saepe doceant, ea religione esse colendos; ut sine gravi culpa, atque peccato eorum observatio praetermitti minime possit: cum hi potissimum ad maxima Dei in nos collata beneficia recolenda, summaeque laudes ei persolvendas, ac debitum Sanctis honorem tribuendum instituti sint; sicque ostendant, indignissimum esse, sacris illis diebus non modo a nefariis operibus, illicitisque negotiis non abstinere; verum etiam religionis, ac pietatis opera omni diligentia non praestare. Ut autem ea omnia sigillatim cognoscantur, quae sacris diebus tamquam a divino cultu aliena, ab omnibus evitari, quaeve ad debitum Dei cultum persolvendum fieri debent; edicta a nobis, & praedecessoribus nostris circa haec publicata singuli perlegant & memoria repetant. Quod si aliquos in his festis colendis minus obtemperantes dicti Rectores, seu curati in sua parochia, seu per eam transeuntes viderint, ut saepe fieri contingit; nos hujusmodi abusum ab hac nostra dicecesi radicitus, ac omnino avellere cupientes, praecipimus, & mandamus ipsis Rectoribus seu curatis, in virtute sanctae obedientiae, & sub poena peccati mortalis; ut pro prima vice, qua aliquis parochianus, vel alius extraneus in his in eorum parochia inciderit, contentur eum punire decem solidorum solutione, quorum una pars detur accusatori, alia elemosynario animarum illius ecclesiae, tertia officiali temporali facienti dictam executionem. Pro secunda vero vice puniatur poena viginti solidorum, simili quoque modo inter supradictos aequis partibus dividendorum. Pro tertia vero vice, si renitens fuerit, a divinis repellatur; donec a nobis, seu nostro Vicario generali injuncta sibi poenitentia debita, absolutionem obtinuerit. Pauperes publica poenitentia emendentur.

## C A P U T II.

IDEM.

*Curent Rectores, ut jejunia ab Ecclesia indicta ab omnibus observentur.*

**J**ejunia, quae ad coercendam carnem sunt ab Ecclesia instituta, magna itidem diligentia suis subditis denuntient Parochi: doceantque omnes ad ea servanda ipsius Ecclesiae lege teneri, singulis scilicet Quadragesimae diebus, exceptis Dominicis; qui quadraginta dies quasi totius anni decima pro fidelium salute Deo persolvuntur: quatuor itidem statis anni temporibus ac ceteris vigiliarum diebus in calendario, & constitutione provinciali Tarraconensi inferius inserta latius contentis. A jejuniis autem illi tantum excipiuntur, quos urgens necessitas, vel imbecilla aetas excusat, vel qui morbo aliquo, aut alia justa causa impediuntur: quae tamen causa legitima censeferi non debet, nisi medici judicio, & proprii Parochi auctoritate probata sit. Illud etiam adiacientes, in tribus diebus Litaniarum, seu Rogationum, quae fiunt singulis annis ante festum Ascensionis domini nostri Jesu Christi, juxta consuetudinem

non

non esse necessario jejunandum; sed satis pium est, si feria secunda, & quarta fideles ab esu carniū abstineant.

## CAPUT III.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI.

*De festo tertii diei Pentecostes, & de jejniis sanctorum Thomæ, & Mathiæ.*

**A**D nostrum pervenit auditum, quod in hac nostra Tarraconensi dicecesi in vigiliis beatorum Apostolorum Thomæ, & Mathiæ non jejunatur, nec eorum festa coluntur; sed neque tertia feria Pentecostes colitur: immo carnes comeduntur in dictis vigiliis, & in præfatis festivitatibus opera servilia exercentur. Cumque hæc contra juris dispositionem esse videantur, quascumque consuetudines repellentes, hæc nostra constitutione præcipimus, & cunctis nobis subditis mandamus, ut in prædictis vigiliis jejunent, & ut beatorum Apostolorum Thomæ, & Mathiæ festa, nec non tertiam feriam Pentecostes sicut diem Dominicum venerentur, & colant.

## CAPUT V.

SANCTIUS Archiepiscopus in synodo anni MCCCLIV.

*In vigilia beatæ Teclæ nemo carnes comedat, & festus dies colatur.*

**C**UM creatura non habeat quid pro meritis suo respondeat creatori, & homo ad laudandum Deum principaliter sit creatus, quem non solum in ipso, sed etiam in ejus Sanctis laudare jubetur, & Ecclesia Tarraconensis sub invocatione beatæ Teclæ virginis, & protomartyris olim fundata fuerit: idcirco ad laudem ejusdem virginis perpetuo prohibemus edicto, ne in nostra dicecesi Tarraconensi aliquis cujuscumque status sit, in vigilia sanctæ Teclæ, quæ singulis annis fit die vigesima secunda mensis Septembris, carnes comedat, nisi necessitate cogente. Et festum ejusdem virginis die sequenti, quæ vigesima tertia erit, unusquisque religiose colere, & observare teneatur.

*Constitutio provinciæ Tarraconensis de festis, & jejniis, edita Barcinone anno MDLXVI.*

**Q**uia propter frequentiam dierum festorum, ac jejuniorum in multis locis hujus provinciæ, atque alibi ea minus recte observantur: placuit sacro approbante concilio eos dies hic enumerare, quos volumus ab omnibus districtè custodiri, & in singulis parochiis sæpius publicari. Dies itaque festi, præter Dominicos dies, quos oportet omnes Christianos colere, & in eis cessante legitima causa missam audire, & ab opere servili abstinere, hi sunt: Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis beatæ Mariæ, Mathiæ Apostoli, Annunciationis B. Mariæ, Marci Evangelistæ, Philippi, & Jacobi Apostolorum; Inventionis sanctæ Crucis, Joannis Baptistæ, Petri, & Pauli Apostolorum, Jacobi Apostoli, Laurentii Martyris, Assumptionis Beatæ Mariæ, Bartholomæi Apostoli, Nativitatis Virginis Mariæ, Matthæi Apostoli, Teclæ Virginis, Michaelis Archangeli, Lucæ Evangelistæ, Simonis, & Judæ Apostolorum, Omnium San-

Tom. III.

ctorum, Andree Apostoli, Conceptionis Beatæ Mariæ, Thomæ Apostoli, Nativitatis Domini nostri, Stephani Protomartyris, Joannis Apostoli, nec non duo dies post diem sanctum Dominicum Paschæ, & duo etiam dies post Dominicum diem Pentecostes, & dies Ascensionis Dominicæ, atque Corporis Domini eadem celebritate colendi sunt.

At alii festi dies sunt, quos saltem matutino tempore coli non præcipimus, sed hortamur; in quibus post Missarum præsertim celebrationem permittimus servilibus operibus, præsertim rusticis operari. Sunt autem hi: Gregorii Papæ, benedicti Abbatis, Ambrosii Episcopi, Georgii Martyris, Barnabæ Apostoli, Mariæ Magdalenæ, Visitationis B. Mariæ, Annæ matris ejusdem Mariæ virginis, Domini confessoris, Augustini Episcopi, Hieronymi presbyteri, Francisci confessoris, Catharinæ virginis, Sanctorum Innocentium, Eos quoque dies celebrari in singulis parochiis convenit, quibus festivitas ejus Sancti incidit, cui ecclesia parochialis dedicata est. Ab omnibus autem coli mandamus ejus Sancti diem festum, sub cujus nomine cathedralis ecclesia est consecrata, nec non patroni singularum ecclesiarum cathedralium, vel oppidorum.

Jejuniorum vero dies hi sunt: A feria quarta cinerum usque ad Sabbatum sanctum, quod diem sacrum Paschatis præcedit, exceptis Dominicis diebus, Quattuor anni temporum terni dies, hoc est feriæ quartæ, & feriæ sextæ, & sabbata, Vigiliæ sanctorum Apostolorum Mathiæ, Petri, & Pauli, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Andree, & Thomæ; Omnium Sanctorum, Joannis Baptistæ, & Laurentii Martyris, Vigilia Assumptionis B. Mariæ, Vigilia Nativitatis Domini, & Pentecostes; nec non illi dies, quibus in singulis dicecesibus Episcopi ex aliqua rationabili causa jejunia indixerint. Cumque scriptum sit: „Vovete, & reddite Domino, Deo vestro“; vota quæcumque jejuniorum, aut dierum festorum a populo, aut a singularibus personis emissa, ab eisdem observari jubemus; melius est enim non vovete, quam post votum non reddere promissa.

Hanc igitur tam festorum dierum, quam jejuniorum enumerationem ab omnibus observari, dicti concilii approbatione præcipimus, prædecessorum nostrorum constitutionibus, & consuetudinibus quibuscumque non obstantibus. In transgressores autem hujus nostræ constitutionis, tam omnes ecclesiastici judices, quam parochialium ecclesiarum Rectores, eorumque Vicarii, atque alii superiores severe procedant, ne sanguinem ovium Christi ipse Dominus ab eisdem requirat.

## TITULUS XI.

DE COMŒDIIS MYSTERIORUM SACRÆ SCRIPTURÆ PROHIBITIS.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

*Comœdiæ sacræ fieri; & reliquiæ, & imagines admitti; aut nova miracula depingi prohibentur.*

Cccc

CUM

**C**UM ex comœdiis sacris tam passionis domini nostri Jesu Christi, quam aliorum mysteriorum sacre scripturæ, quæ in ecclesiis, vel extra eas fiunt, homines potius ad risum, quam ad devotionem moveantur, indeque permulta scandala soleant oriri, præcipimus, & sub sex librarum pœna mandamus, ut sine nostra, seu Vica-

rii generalis nostri permissione comœdiarum hujusmodi nullibi fiant: nec ecclesiarum Rectores, aut Vicarii sub eadem pœna talia fieri in suis parochiis permittant: nec novas reliquias, & imagines in suis ecclesiis recipiant: aut nova aliqua miracula in eisdem depingi patiantur.

## Pars Quarta.

### TITULUS I. DE SENTENTIA EXCOMMUNICACIONIS.

#### CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

*De excommunicationis censura timenda.*

**C**UM in hæc tam mala tempora inciderimus, ut a quampluribus excommunicatio Pastoris non timeatur, sed parvi pendatur, cum tamen eam reverenter timere deberent, ut ipsorum malitiæ, vel ignorantia occurratur, præcipimus, ut presbyteri curam animarum exercentes parochianos suos frequenter admoneant, ut timeant excommunicationem pastorem, qua in Ecclesia Dei nulla major pœna reperitur; ut eam cum omni timore, & reverentia diligenter observent, & quantum in eis est, faciant observari. Ipsique presbyteri ab excommunicatis caveant, ut eos evitent tam in ecclesiis, quam extra; ne cum eis participando, graviter peccent, & excommunicationem incurrant, postmodumque celebrando irregulares fiant.

#### CAPUT II.

IDEM.

*Quæ sint servanda a sacerdote in absolute excommunicationis.*

**C**UM certum, & perspicuum sit, quoscumque sacerdotes posse in articulo mortis quoslibet pœnitentes a quibusvis censuris, & peccatis absolvere, ideo volentes simplicitati, & imperitiæ nonnullorum presbyterorum occurrere, præfenti constitutione sancimus, & sub pœna suspensionis ab officio per annum præcipimus, ut si cuiquam sacerdoti excommunicatum majoris excommunicationis sententia in mortis articulo absolvere contigerit, prius quam eum absolvat, idoneam cautionem fidejussoriam, aut pignoratitiam, si poterit, alioquin juratoriam ab eo recipiat de satisfaciendo, & parendo juri infra duos menses per se, si convaluerit, vel heredes suos, si moriatur.

#### CAPUT III.

IDEM.

*Excommunicati publice utur in ecclesiis parochialibus singulis diebus Dominicis.*

**U**T autem excommunicati facilius vitari possint, ipsique rubore perfusi ad reconciliationis gratiam redire citius compellantur: omnibus curatis, & ecclesiarum Rectoribus præcipimus,

ut quilibet in sua ecclesia singulis diebus Dominicis illos, quos publice excommunicatos esse sciverint, inter Missarum sollempnia publice denuntient, nec ab hujusmodi publicatione, seu denuntiatione cessent, quousque illi absolutionis beneficium fuerint consecuti. Excommunicati autem, cum divina celebrantur officia, ab ecclesiis expellantur: interesse tamen prædicationibus poterunt, nullo vero modo sacramentorum administrationi interesse.

#### CAPUT IV.

IDEM.

*Excommunicati, qui per annum inforduerint, nuntientur Præbato, & alii criminosi.*

**S**Tatuimus insuper, & ordinamus, ut Rectores, & alii quicumque curati deferant nobis singulis annis nomina eorum, qui per annum in excommunicationis sententia perstiterint, nec non qui publice usuras exercent: item deferant concubinos, adulteros, hæreticos, aut de hæresi suspectos, & alios quoscumque in notoriis criminibus perseverantes: alioquin sciant se gravissimas pœnas passuros.

#### CAPUT V.

IDEM.

*Judices non permittant excommunicatum actoris partes in iudicio agere.*

**C**UM ab eorum communione, qui publico edicto, & nominatim sunt excommunicati, omnes abstinere debeant; quod tamen a quibusdam iudicibus sæcularibus contemni intelligamus; ideo huic absurdo obviare volentes, eisdem iudicibus sive ecclesiasticis sint, sive sæculares, sub excommunicationis sententia præcipimus, ne eum, quem prædicto modo excommunicatum esse sciverint, actoris partes in iudicio agere sinant: cum omnis actio sit in iudicio illi prohibita, quem communione fidelium Ecclesia privavit.

#### CAPUT VI.

IDEM in synodo anni MDLXXXI.

*Absolute censurarum, quæ a confessoribus fit vigore Jubilei, seu bullarum, forum tantum conscientia concernit.*

**A**Nxietati nonnullorum satisfacere cupientes, qui dubitant, an denunciati in ecclesiis pro excommunicatis ex mandato iudicis ordinarii, seu Apostolici, vigore Jubilei, vel bullarum sanctæ Cruciatæ, vel aliarum, quibus potestas absolventi conceditur in foro conscientia, possint a confessoribus absolvi in utroque foro, dicimus, seu decla-

declaramus prædictam absolutionem tantum ad forum conscientiae, non autem ad forum contentiosum, seu exteriorem extendi. Proptereaque ordinamus, & præcipimus, ne sic a dictis censuris absoluti admittantur in divinis, vel illis in loco publico sanctissimum Eucharistiae sacramentum conferatur, donec præfati excommunicati ab eodem iudice, ex cuius mandato fuerunt publicati, vel ab ejus superiore, aut successore beneficium absolutionis obtinuerint.

## CAPUT VII.

FERDINANDUS Loazes in synodo anni MDLXVI.

*Mensam lusoriam habentes excommunicantur.*

**I**tem statuimus, & ordinamus, nostra hac synodo approbante, ut nullus clericus, sive laicus cujuscumque gradus, aut conditionis existat, domum, vel mensam publice, vel secrete ad ludendum taxillis, cartis, aleis, & tesseris habeat, neque lutores aliquos domi suæ recipiat. Quod si qui hanc nostram constitutionem contemnentes, ad præfatos ludos exercendum, & continuandum lutores aliquos frequenter domi suæ receperint, & admiserint, etiam nullo ab eis recepto, vel expectato per se, vel per suam familiam salario, sive mercede, sententiam excommunicationis incurrant. Illi vero, qui diebus festivis, vel Dominicis, dum divina officia peraguntur, ludis interlunt, arbitrio curatorum nostræ diocesis puniantur.

## TITULUS II.

DE MANDATIS CURIÆ ARCHIEPISCOPALIS EXEQUENDIS, ET DE CONSTITUTIONIBUS INFERIORUM.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXVIII.

*Curam animarum exercentes exequantur diligenter, & gratis mandata, & provisiones curiæ Archiepiscopalis Tarraconensis.*

**Q**uoniam nonnulli ecclesiarum Rectores, seu Vicarii diocesis nostræ, ad exequendum mandata nostra, seu Vicarii, & Officialis nostri generalis, & aliorum quorumcumque officialium nostrorum remissi, & negligentes reperiuntur: ea propter mandamus, & districte in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus, & singulis presbyteris, & clericis civitatis, & diocesis nostræ, quatenus diligenti cura, & gratis hujusmodi mandata nostra, & officialium nostrorum, sive sint citationes, sive monitiones, sive suspensiones, sive excommunicationes, fructuumve sequestrationes, sive aliæ quæcumque litteræ nostræ curiæ Archiepiscopalis, exequantur, fidelemque in scriptis de earum executione, & exequendi modo in fine litterarum manu sua faciant, & ad nos mittant. Quod si qui negligentes fuerint, pœnam trium librarum, & alias arbitrio nostro reservatas sustinebunt.

## CAPUT II.

IDEM in synodo anni MDLXXXI.

*Ut constitutiones communitatum presbyterorum neminem obligent, donec ab Ordinario approbata fuerint; & de constitutionibus lai-*

*corum contra immunitatem ecclesiasticam factis.*

**Q**uia sæpe contingit, a communitatibus, sive collegiis presbyterorum, aut ab universitatibus læcularium fieri constitutiones iniquas, & injustas, & in præjudicium aliorum, præsertim clericorum, idcirco desiderantes, ut in qualibet constitutione in futurum faciendâ illæ qualitates sint, quæ in unaquaque lege, & dispositione adhiberi æquum & justum est: præfati constitutione sancimus, ordinamus, & prohibemus, ne constitutiones, & ordinationes ab aliqua communitate presbyterorum in futurum edendæ, quemquam ad eorum observantiam ligent, seu obligent, aut exequantur, donec a nobis, vel nostro Vicario generali perlectæ, & recognitæ, & decreto apposito firmatæ sint. Si quæ vero hætenus ab eisdem communitatibus confectæ sint, nolumus aliquem ad eorum observantiam teneri, quousque a nobis, seu nostro Vicario generali revisæ, & approbatæ sint: illis exceptis, quas constiterit decreto nostro vel nostrorum prædecessorum, seu eorum Officialium esse munitas. Sæcularium vero constitutiones contra clericos, vel ecclesias factas, vel in posterum faciendas irritas decernimus esse, & inanes, & eorum conditores anathemati subiectos esse.

## TITULUS III.

DE SIMONIA.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni MDLXXXI.

*Enumeratio casuum, in quibus hoc crimen perpetratur.*

**C**UM detestabile scelus simoniacæ pravitatis tam divinorum, quam sacrorum canonum auctoritas abhorreat, atque damnet, ac nos multorum fide dignorum relatione intellexerimus, hujusmodi damnabile vitium in his nostris partibus frequentius propter nimiam hominum cupiditatem forsan committi, & versari; ideo tam pestifero morbo congruam volentes adhibere medellam, præfati constitutione sancimus, & declaramus, eos omnes, quos ad acquirendum sibi, vel alteri cuicumque personæ cognatæ, vel extraneæ aliquod beneficium ecclesiasticum, quocumque nomine nuncupatum, per se vel per aliquam personam ad id interpositam constiterit dedisse, vel promississe patrono, vel collatori ejusdem beneficii, vel alteri personæ, eorum prætextu, seu verius ea de causa, aliquam pecuniæ quantitatem, vel aliam quamcumque rem, ut ipsummet donantem, vel promittentem, vel aliam certam personam dictus patronus vacationi præfati beneficii præsentaret, vel collator prædictum beneficium conferret, prædictos omnes, tam donantes, quam promittentes, nec non etiam accipientes pecuniam, vel aliam rem, simoniam commisisse, ob eamque causam excommunicationis sententiam incurrisse, a qua non possunt, excepto articulo mortis, ab alio, quam a Romano Pontifice absolvi: ac nisi beneficiatus, qui supradicto modo beneficium obtinuit, dictum beneficium prius dimiserit, ac omnes, & singulos

Cccc 2

red-

redditus, proventus, & emolumenta, quæ ejus occasione consecutus fuit, integre, & sine mora ulla restituerit, ac dicti patroni, seu collatores pecuniam, vel aliam quamcumque rem eadem de causa receptam emendaverint.

II. Eisdem etiam poenas incurrisse censemus eos, qui licet pro beneficio consequendo non dederint, vel promiserint, per se vel per alium rem aliquam, passi tamen fuerunt, ut parentes, vel fratres, vel alii cognati, seu alii pro eis, & ipsis scientibus, dederint, vel promiserint quidquam prænominatis patronis, vel collatoribus, vel alteri eorum respectu: nec non eos, quos dicta contemplatione aliquam pecuniæ quantitatem, vel aliam quamcumque rem dictis patronis, vel collatoribus, vel alicui personæ eorum prætextu, constiterit commodasse, seu mutuasse pecuniam, vel aliam rem a patrono, vel collatore, vel alio debitam eisdem, vel alteri eorum remisisse.

III. Insuper illos, quos liqueret post dictorum beneficiorum adeptionem dimisisse, vel renuntiasse ipsis patronis, vel collatoribus pensiones censualem, vel decimas, vel primitias, vel alias quascumque taschas, quantitates, vel res, quas dicti patroni, vel collatores dictis beneficiis singulis annis respondere solent; vel etiam eisdem patronis, vel collatoribus dimisisse, vel locasse gratis vel pro minore quantitate, quam locari solebant, domos, prædia, vineas, vel alias quascumque terras, vel res, quæ ipsius beneficii sunt, aut dictorum clericorum, sive eorum consanguineorum, aut amicorum.

IV. Eisdem etiam poenis eos ligari volumus, qui scientes inter eos, qui contrahunt simoniacam pactionem, intercedunt, & in eorum gratiam & favorem, sua beneficia, vel alias quascumque res obligant, ac tandem non solum simoniæ auctores, sed etiam illius internuntios, interpretes & mediatores, ac notarios, qui simoniaca instrumenta confecerunt hætenus, vel in futurum confecerint.

V. Quæ omnia locum etiam sibi vindicare judicamus in illis, qui aliqua ex supradictis pro consequenda pensione ecclesiastica perpetrarunt.

VI. Quorum fructuum, reddituum, proventuum, emolumentorum, & rerum datarum restitutionem, singula singulis referendo, nolumus dictos contrahentes sibi invicem facere, cum de jure non possint; sed illi beneficio, vel ecclesiæ, cui injuria facta est, ut in ejus utilitatem, & reddituum augmentum dictæ pecuniæ, & aliæ quæcumque res converti possint. Præcipientes curatis, & confessoribus, ne dictos poenitentes absolvant, donec sibi constiterit, tam dictos beneficiatos, quam dictos patronos, collatores, vel alios pecunias, vel res, ad quas restituendas tenentur, realiter, & cum effectu restituisse.

#### CAPUT II.

IDEM.

*Transationes super litibus beneficialibus inconsulto Prælato non fiant.*

Quia sæpe contingit, lites, & controversias inter aliquos super titulo alicujus beneficii moveri, & agitari, & tandem illis deseisis, vel

altero eorum fatigato, eosdem ad concordiam devenire, & nonnunquam ad proprias vexationes redimendas alterum ex dictis litigantibus alteri pecuniam, vel aliam rem offerre, vel dare. Ex quibus pactionibus, & conventionibus cum a juris ignavis fiant, nonnunquam conscientis dictorum contrahentium maxima damna inferuntur. Ideo desiderantes dictas transationes, servatis a jure servandis, inter eos fieri, & iniri, præsentis constitutione prohibemus, ne in futurum præfati litigantes, si qui sint, similes pactiones, seu transationes inconsulto, & auctoritatem non interponente suam prælato, seu ejus Officiali, & Vicario generali, facere præsumant, vel attentent. Quod si contrarium fecerint; ultra id, quod dictas concordias nullas esse volumus, poenam decem librarum dicti contrahentes, & quilibet eorum sustinebunt.

#### CAPUT III.

IDEM.

*Confidentia beneficiorum prohibentur.*

Insuper adherentes Pii quinti Pontificis maximi decreto Romæ publicato die sexta Augusti anni millesimi quingentesimi sexagesimi noni, hac nostra constitutione prohibemus, ne is, qui in favorem alicujus in Romana curia beneficium aliquod dimiserit, post dictum beneficium dimissum procuracionem, vel redditus aliquos dicti beneficii a dicto beneficiato de novo proviso accipiat, ex quo vel confidentiæ suspicio, vel simoniacæ conventionis oriri possit. Quod si qui dolose contrarium fecerint, sciant se, juxta dicti motus proprii dispositionem, ultra id, quod dictus recipiens ad omnium fructuum sic receptorum restitutionem tenebitur, & beneficiatus novus ad beneficium dimittendum, sententiam excommunicationis ipso facto ambo, & renuntiantem scilicet, & eum, cui beneficium de novo collatum est, incursum: a qua, nisi satisfactio præmissa, neuter eorum poterit absolvi ab alio, quam a Romano Pontifice, articulo mortis excepto. Quæ omnia locum sibi vindicare censemus, non solum in resignationibus, seu renuntiationibus beneficiorum Romæ factis, sed etiam in aliis omnibus, quæ in confidentiam coram Ordinario facienda erunt; cum certum sit, juxta sacrorum canonum constitutiones, non posse quem ad aliquod beneficium præsentari, vel alicui aliquod beneficium conferri eo pacto, & conditione, quod provisos de tali post adeptam possessionem dicti beneficii, de omnibus fructibus, vel redditibus illius, seu de aliqua parte illorum, ipsi collatori, vel patrono, vel alteri cuicumque personæ respondere teneatur.

#### TITULUS IV.

#### DE USURIS.

#### CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni

MDLXXXI.

*Casus, in quibus usura committitur.*

Usurarum voraginem, quæ animas fidelium devorat, & facultates nonnullorum contra jura divina, pariterque humana exhaurit, quantum in nobis est, compescere cupientes: hac nostra



nostra constitutione sancimus, & declaramus; eos omnes usuram commisisse, quos constiterit aliquam dedisse pecuniæ quantitatem, vel aliam quamcumque rem cum pacto, & conditione, quod aliquid ultra quantitatem mutuatam ejusdem speciei, vel alterius eidem mutuanti restituatur, vel donetur.

II. Nec non eos, quos pecuniam commodasse alicui constiterit, conventionem inter eos inita, quod is, cui mutuata est pecunia, solvat eidem mutuanti quolibet anno solidum, vel aliam quantitatem pro qualibet libra pecuniæ mutuatæ ultra sortem, & sic ad rationem census, sive censualis, ut vulgo dici solet: cum tamen revera nulla sit facta venditio censualis, scriptura interveniente inter dictos contrahentes. Quæ procedere censemus, etiam si illæ pecuniæ hac conditione mutuatæ, essent viduarum, pauperum personarum, pupillorum, vel, quod fortius est, hospitalium, confraternitatum, eleemosynarum, vel aliarum quarumcumque piarum causarum, aut ecclesiarum. Idem censendum est, etiam si censualis scriptura conscripta sit, si is, qui accipit pecunias, nulla bona immobilia possideat, sed se, suaque bona obligat, quamvis fidejussores det idoneos.

III. Eos etiam, quos constiterit emisse frumentum, triticum, vinum, vel oleum, seu alias merces similes minori pretio, quam vendi possent, vel solerent, ob anticipationem pecuniarum: & e converso illos, quos liqueret dictas merces vendidisse cariori pretio, quam in pecunia numerata venderentur, ob retardationem solutionis pretii rerum emptarum. Ac alios, quos apparuerit rem aliquam vendidisse pretio maximo, & excessivo alicui maximam necessitatem patienti, vel alteri & incontinenti, vel paullo post eandem rem ab eodem viliori, & multo minori pretio recuperasse, ut ita usura palliaretur.

IV. Præterea eos, quos constiterit aliquam pecuniæ quantitatem alicui mutuasse, & in pignus, sive hypothecam aliquam portionem terræ, sive fundum, aut domum accepisse, ac tempore restitutionis pecuniarum recusasse, vel renuisse, fructus, & emolumenta ex hereditate in pignus sibi tradita perceptos, vel percepta ex quantitate, quam commodaverat, deducere, vel in eadem computare, communi dictorum fructuum & emolumentorum valore, pretio, seu æstimatione semper attentis.

V. Insuper eos, quos apparebit aliquam rem cum pacto de retro vendendo, vulgo dicto Carta de gratia, emere, ipsumque venditorem in tertia, vel majori parte pretii, communi æstimatione illius rei attentam, accipere. Ideoque prohibemus, ne hujusmodi venditiones cum dicto pacto de retro vendendo in aliqua parte hujus nostræ diocesis fiant; quin prius per probos viros illius villæ, vel loci per Bajulum deputandos, dicta res æstimetur, & pactum redimendi non ad certos, & determinatos annos coartetur, sed arbitrio ipsius primi venditoris relinquatur: mandando hac nostra constitutione quibusvis presbyteris & notariis, ne hujusmodi contractus tamquam usurarios, & reprobos aliter stipulentur, quam

facta prius dicta æstimatione, de qua in instrumento ad uberiores cautelam, & omnem fraudis suspicionem e medio tollendam, sub pœna viginti quinque librarum ipso facto incurrenda, mentionem fieri volumus.

VI. Rursus eos, quos apparuerit aliquam pecuniæ quantitatem alicui commodare ea conventionem, & pacto, quod is, cui mutuata est, teneatur dictam quantitatem solvere, seu restituere dando ipsi mutuanti, ad certum tempus, vel ad certos annos certas, & determinatas uncias croci, vel piperis, vel alterius speciei, sive mensuras tritici, ordeï, olei, vini, & alterius rei. Prohibentes omnibus, & singulis notariis, tam ecclesiasticis, quam secularibus hujus nostræ diocesis, ne hujusmodi instrumenta, tamquam confecta ex contractibus scandalosis, & de usura valde suspectis, sub pœna excommunicationis stipulentur.

VII. Tum etiam eos, quos constiterit greges aliquos, seu jumenta, ad societatem vulgo dictam *Al tern diner*, alicui accommodare, cum pacto tamen, & conditione, quod principale, hoc est pretium totius gregis alteri commissi, & traditi, sit ipsi mutuanti salvum, & securum, vel etiam cum alio pacto, scilicet quod ipse mutuans dimidiam partem lucri accipiat, & nullam, aut minorem damni.

VIII. Illos etiam, quos constiterit ab aliquibus censum alicujus annuæ pensionis emere, vel aliquam pecuniæ quantitatem alicui mutuare, seu commodare promittere, & solutionem pretii proprietatis dicti censualis empti, vel quantitatis commodandæ facere dando venditori censualis dictum pretium censualis, seu dicto commodatario quantitatem mutuari promissam, partim in pecunia numerata, partim vero in aliis rebus, ut puta vino, oleo, frumento, vel aliis quibuscumque mercibus, vel rebus.

IX. Hos contractus, tamquam vehementer de usura suspectos, gravissimaque damna partibus inferentes, a nemine fieri volumus, nec ab aliquo notario, sive ecclesiastico, sive seculari hujus nostræ diocesis sub pœna excommunicationis stipulari. Hæc omnia, & singula in futurum ut prohibita, & usuraria punientur: quæ vero ante hanc diem contracta fuerunt a non suspectis personis, & aliis qualitatibus consideratis, excepto primo capite, mitiori pœna plectenda esse censemus.

## TITULUS V.

DE MALEDICIS, ET BLASPHEMIS,  
ET SUPERSTITIOSIS.

## CAPUT I.

ANTONIUS Augustinus in synodo anni  
MDLXXXI.

*Ne qui in malis curandis utantur orationibus ab Ordinario non approbatis.*

**C**UM nemini dubium sit, sacrosanctam matrem Ecclesiam omni studio, & vigilantia in expellendis variis, ac diversis superstitionibus, quas tam Christi fideles, quam alii in malis curandis adhibere solent, usam fuisse: ideo ejus vestigiis in re præsertim tam sancta adherentes, præfenti constitutione præcipimus omnibus subditis hujus

hujus nostræ diœcesis, ne in curandis, & expellendis malis quibuscumque, aliquibus orationibus utantur, quæ a nobis, vel nostro Vicario generali auditæ, & approbatæ non sint. Si qui vero hujus nostræ ordinationis temerarii transgressores fuerint, excommunicationis sententiam incurrant, & a suis propriis curatis a divinis repellantur. Ipsi vero curati diligenter investigent, quibus verbis, aut signis hujusmodi personæ utantur, & doceant eas, quid agere debeant, & inobedientium nomina referant superioribus. Idem ad eos porrigatur, qui ad inveniendum res amissas, vel ad obtinendum aliquid ab aliquo, & similia, preces, vel orationes, vel herbas adhibent, vel signa aliqua efficiunt.

## CAPUT II.

IDEM.

*Blasphematores quomodo sint puniendi.*

**C**UM inter alia, quibus nos maxima diligentia invigilare oportet, sit punitio, & extirpatio

eorum, qui contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime beatam Virginem Mariam linguam in blasphemiam publice, inconsiderate, ac temerarie relaxare præsumunt: ideo ut tam horrendum, & intolerabilem abusum ab hominum memoria in totum extirpemus, ac poena uni inflicta aliis terrorem incutiat, innovantes hac nostra constitutione omnes, & singulas poenas a diversis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus contra dictos blasphematores indictas, & publicatas, sancimus, & quibusvis curatis sub poena decem librarum præcipimus, ne aliquem ex præfatis maledicis, seu blasphematoribus suæ parochiæ, postquam eis constiterit blasphemiam aliquam dixisse, ad audiendum divina officia admittant, quin prius ad accipiendam poenitentiam sibi in ecclesia publice primo die festivo arbitrio curati injungendam humilitate debita accesserint. Contumacium nomina, & delicti qualitatem superioribus curati deferant.

## Pars Quinta.

## TITULUS I.

## DE FIDE INSTRUMENTORUM.

## CAPUT I.

ARNALDUS Archiepiscopus in synodo anni  
MCCCXXXV.

*Curati, vel eorum locum tenentes non extrahant notulas, seu aprissias scripturarum a propria parochia.*

**D**eliberatione provida statuimus, ut nullus Rector, seu Vicarius, vel quisvis alius notarius locum tenens Rectoris, & notarii cujuscumque ecclesiæ, loci, vel parochiæ nostræ diœcesis Tarraconensis notas, seu aprissias scripturarum suæ ecclesiæ, seu parochiæ, extra terminos suæ propriæ parochiæ portet, vel extrahat. Quicumque autem contra hanc nostram constitutionem, quovis quæsito colore, nisi ob causam necessariam, aliquid attentare præsumperit, excommunicationis sententiam incurrat, a qua absolvi nequeat, nisi prius scripturam sublatam, seu abstractam ecclesiæ suæ restituerit, & poenam nobis, seu nostro Vicario generali bene visam sustinuerit.

## CAPUT II.

IDEM.

*Nullus recipiat notas in parochia alterius sine licentia curati illius.*

**I**tem cum in messem alienam nemo falcem suam ponere debeat, statuimus, & ordinamus, ut nullus infra parochiam alicujus Rectoris, qui notariam habeat, conficere audeat instrumenta, seu notam, vel notas recipere, sine ipsius Recto-

ris, vel Vicarii expressa licentia, & permisso. Qui vero contrarium facere præsumperit, sententiam excommunicationis minoris incurrat, a qua nulloatenus absolvatur, nisi de injuria, & damno dato Rectori, in cujus parochia instrumentum fecerit, seu notam receperit, prius satisfecerit competenter.

## CAPUT III.

ANTONIUS August. in synodo an. MDLXXVIII.

*Curati, & eorum loca tenentes conscribant plene notas, seu aprissias instrumentorum, quæ receperint, infra duos menses.*

**C**UM ex negligentia notariorum plura damna & incommoda in dies diversis personis proveniant, jurgiaque gravia quandoque insurgant, ideo desidiam, seu pigritiam eorum obviare cupientes, præfenti constitutione sancimus, ut quicumque Rector, Vicarius perpetuus, seu quævis alia persona ecclesiastica, vel secularis habens, tenens seu regens scribaniam, seu notariam ecclesiæ, seu ecclesiasticæ personæ, intra terminos hujus nostræ diœcesis Tarraconensis, qui formam alicujus instrumenti recipiet, scribat, seu scribi faciat in suis capibreviis vel libris notularum notam continentem essentiam illius instrumenti: & quod dictam notam scribere, seu scribi facere teneantur infra duos menses, post firmas, sive stipulationes, & obligationes omnium contrahentium, & aliorum, qui ipsum instrumentum firmare habent, interpositas computando. Qui vero in aliquo ex supra dictis negligens fuerit, poena excommunicationis ultra damna, quæ partibus reficere tenebitur, coerceatur.

Formulae instrumentorum, quibus uti debent Rectores, & alii curam animarum regentes civitatis, & diocesis Tarraconensis in conficiendis instrumentis, juxta stylum scribaniae communis Archiepiscopatus Tarraconensis.

*Venditio hereditatis, sive praedii.*

**N**overint universi, quod ego: *Dicatur in plurali, si plures sunt venditores* τ. talis loci, non coactus, nec in aliquo circumventus, immo gratis, & ex mea certa scientia per me, & omnes heredes, & successores meos quoscumque vendo, & titulo venditionis concedo vobis honorem τ. civi Tarraconensi, & τ. uxori vestrae, & vestris, & quibus volueritis perpetuo pretio τ. librarum monetæ Barcinonensis, de quibus sum a vobis bene pacatus, & contentus omni meae voluntati: super quibus renuntio exceptioni dictae pecuniae non numeratae, & non solutae, non habitae, & non receptae, pretiique non soluti, venditionis non factae, & doli mali, & in factum actioni, quandam hereditatem, sive terrae troceum continentiae τ. jugerum parum plus, vel minus, quam ego meis justis, & legitimis titulis habeo, & possideo in τ. loco, in parte dicta τ. in prima parellada: *Nota, quod si venditur fundus urbanus, puta domus, tunc confrontationes non designantur per ventos, sed hoc modo; a parte ante cum vico de τ. a parte retro cum cortili τ. ab uno latere cum domo τ. & ab alio latere cum domo τ., quae confrontat ab Occidente cum τ. ab Oriente cum τ. a Meridie cum τ. & a Circio, sive Septentrione cum τ.* Et: *Si res vendita non fuerit juri emphyteoricae conditionis subiecta, tunc debent poni haec verba; Quam quidem domum, vel hereditatem ego dictus venditor per purum, liberum, & francum allodium habeo, & possideo in τ. loco &c. tenetur partim pro anniversariis τ. ad censum τ. solidorum anno quolibet solvendum in die, sive festo τ. & partim per beneficium τ. ad censum τ. solidorum anno quolibet solvendum in dicto die, sive festo τ.* Supradictam autem hereditatem, sive terrae troceum superius confrontatum & terminatum vendo vobis, & vestris, & quibus volueritis perpetuo pro pretio antedicto cum ingressibus, & egressibus, juribus, & pertinentiis suis universis, & cum omnibus melioramentis ibi factis, & amodo faciendis. *Nota, quod quando res vendita est sita intra terminum alicujus domini saecularis, tunc hujusmodi clausula poni non debet: ponitur enim tantum in instrumentis venditionum fundi sive rustici, sive urbani siti intra jurisdictionem ecclesiae Tarraconensis.* Salva tamen fidelitate ecclesiae Tarraconensis, & Reverendissimi domini Archiepiscopi ejusdem, & salvis dictis censibus jure directo dominio, laudimio, firma, fatica triginta dierum, & empara, & alio etiam quolibet pleno jure dictor. τ. & τ. & in eis successorum. Sicut ego i-

psam hereditatem habeo, & habere debeo, sic ipsam vobis, & vestris perpetuo vendo, ac, & pro ut melius, & utilius describi, intelligi, & excogitari potest ad vestrum, vestrorumque salvamentum, commodum, bonum, verum, & sincerum intellectum, & sic de posse, jure, & dominio mei, & meorum praedicta, quae vobis vendo, extraho, & in posse, jus, ac dominium vestri, & vestrorum mitto, transfero, & transporto, & vos inde in corporalem possessionem mitto cum hoc praesenti publico instrumento vobis, & vestris perpetuo valituro, & duraturo, sine omni meo, meorumque retentu, & vinculo, & ad omnes vestras, vestrorumque voluntates inde libere perpetuo faciendas. Si vero haec venditio modo plus praedicto valet pretio, aut in posterum est valitura, totum illud plus quantumcumque sit, vel fuerit, remitto vobis, & vestris; habeatisque vos, & vestri semper ex meo dono, & mera liberalitate mea, & ex propria emptione vestra: scienter enim renuntio illi legi, quae corrigit deceptionem ultra dimidiam justii pretii. Insuper convenio, & bona fide promitto vobis, quod praedictam hereditatem, sive terrae troceum, quam, seu quod vobis, & vestris vendo, faciam vos, & vestros, & quos volueritis habere, tenere, & in sana pace perpetuo possidere contra omnes personas. Et de firma, & legali evictione, & de restitutione omnium missionum, & expensarum, sumptuum, damnorum, & interesse ante causam, in causa, & post causam volo vobis & vestris semper teneri. Ita quod: *Nota quod hujusmodi clausula potest omitti: quando res vendita est parvi pretii usque ad clausulam: „ Et pro ipsa evictione &c. „* comminanti, seu contradicentibus me opponam, & seu mei heredes & successores se opponent, & ad quaestionem, seu demandam, litem, vel controversiam, si vobis, vel vestris mota fuerit super praedictis, in totum scilicet, vel in partem, satisfidabo, & satisfidabunt pro vobis, & vestris, & recipiam libellum, seu libellos, & respondebo, & respondebunt eidem, suscipiendo in me, & meos totum onus litigii, & agam, seu ducam, & agent, seu ducent causam, seu causas a principio litis usque ad finem meis & meorum propriis sumptibus, missionibus, & expensis, vel si vos, vel vestri magis volueritis, possitis ipsas causam, seu causas ducere, & tractare in propriis personis vestris, vel per procuratorem vestrum vobis, & vestris super his electione semper servata; scienter enim remitto vobis, & vestris ex pacto necessitatem denuntiandi ac etiam appellandi. Et si vos, vel vestri magis elegeritis ipsam causam, seu causas ducere, &

tractare in propriis personis vestris, vel per procuratorem vestrum, promitto vobis, & vestris restituere, & emendare omnes missiones, & expensas in lite, & circa litem factas, sive obtineatis vos, ac vestri, sive etiam subcumbatis: & etiam totum id quod a vobis, vel vestris evictum fuerit de praemissis, & nihilominus omne damnum, gravamen, sumptus, vel missiones, si quod, vel si quas vos, aut vestros inde pro praedictis facere, seu sustinere contigerit ullo modo, de quibus credatur vobis, & vestris juramento vestro, & eorum proprio, nullo alio probationum genere requisito. Quod juramentum per pactum inter nos super his habitum vobis nunc ut ex tunc, & e contra defero, & volo pro delato haberi: & dilationem hujusmodi juramenti revocare minime valeam: *Nota, quod si fuerint plures, qui obligantur, debes apponere renuntiationem beneficii novarum constitutionum &c. ut infra videbis in aliquibus instrumentis firmatis per duos vel plures. Et quando mulier obligatur, debet apponi renuntiatio beneficii Velleiani senatus-consulti, & authentica: Si qua mulier, postea C. ad Vellej. & juribus hypothecarum, quae habet in bonis viri sui, ut infra videbis, & debet mulier certificari de hujusmodi juribus, ut infra videndum est.* Et pro ipsa evictione, & pro omnibus aliis, & singulis supradictis, & infra scriptis sic firmiter attendendis, complendis, tenendis, & inviolabiliter observandis obligo vobis, & vestris, & quibus volueritis perpetuo omnia, & singula bona mea mobilia, & immobilia, habita ubique & habenda, privilegiata, vel non privilegiata; renuntians omni, & cuicumque juri tam canonico, quam civili his obvianti. Et ut praedicta omnia, & singula majori gaudeant firmitate: non vi, nec dolo, sed sponte juro in animam meam per dominum Deum, & ejus sancta quattuor Evangelia manibus meis corporaliter tacta praedicta, omnia, & singula attendere, & complere, tenere, & inviolabiliter observare, & in aliquo non contra facere, vel venire jure aliquo, causa, vel etiam ratione. Actum est hoc in tali loco, .t. die, anno a nativitate Domini .t. Sig † num mei .t. venditoris praedicti, qui haec laudo, concedo, firmo, & juro.

Testes hujus rei sunt .t. t.

Firma domini ratione.

Sig † num meum .t. ut procuratoris, & eo nomine Reverendi viri domini .t. prout de mea potestate constat instrumento publico papyro acto .t. loco, die .t. recepto, testificato, & clauso per .t. auctoritatibus Apostolica, & Regia not. publicum .t. qui dicto nomine hujusmodi venditionem, & omnia, & singula in ea contenta laudo, approbo, & ratione directi domini firmo, juribus tamen dicti .t. semper salvis, in manu, & posse not. infra scripti, die .t. mensis .t. anno .t. Praesentibus ibidem .t. pro testibus ad praemissa vocatis specialiter, & assumpris.

*Apocha pretii retroscriptae venditionis.*

SIT omnibus notum, quod ego .t. gratis, & ex mea certa scientia confiteor, & in veritate recognosco vobis honor. .t. & .t. uxori ve-

stra, quod in modum infra scriptum dedistis, & solvistis mihi, egoque a vobis habuisse, & recepisse confiteor, realiter, & de facto omni: *Nota, quod si pretium solvatur in pecunia numeranda in notarii, & testium praesentia, tunc debes omittere verba illa: „omni mea voluntati“, & dicere: „realiter, & de facto in pecunia numeranda in notarii, & testium infra scriptorum, praesentia omnes illas .t. libras“, mea voluntati omnes illas .t. libras monetae Barcinonensis pro quibus, sive quarum pretio vendidi vobis, & vestris in his successoribus, & quibus volueritis perpetuo quandam hereditatem, sive terrae trocum, quod ego meis justis, & legitimis titulis habebam, & possidebam in horta .t. in parte dicta .t. in prima parellada, prout affrontationes, haecque & alia quam plura in dicto venditionis instrumento paulo ante confecto in posse .t. notarii, vel infra scripti recepto, & testificato, ad quod me refero, latius sunt contenta. Modus: hujusmodi clausula omitterenda est, quando pretium solvitur in pecunia numerata: vero solutionis dictarum .t. librarum talis fuit, & est, videlicet quod vos dicti conjuges .t. .t. pro dictis .t. libris cum alio instrumento paulo post istud conficiendo vendere, & originaliter de novo creare teneamini mihi, & meis .t. solidos ejusdem monetae Barcinonensis pensionis annuae censuales annuales rendales, & perpetuales, sive de censuale mortuo sic vulgariter nuncupatos, quolibet anno a die five festo .t. proxime praeteriti ad unum annum primo & continue venturum, & sic deinde anno quolibet in consimili die, sive termino solvendo. Et ideo renuntiando exceptioni dictae pecuniae non numeratae, & non solutae, pretiique praedicti modo praedicto non habiti, & non recepti, & dolo malo, & in factum actioni, & omni alii juri, rationi, & consuetudini his obviantibus quovis modo, in testimonium praemissorum praesentem vobis facio apocham de soluto, atque recepto. Actum est hoc .t. loco, die .t. mensis .t. Anno a nativitate Domini .t. Sig † num meum .t. confitentis praedicta, qui haec laudo, concedo, & firmo.*

Testes hujus rei sunt .t. t.

*Venditio censualis creati.*

IN Dei nomine. Noverint universi, quod nos .t. & .t. ejus uxor: *Si uxorem non habeat se obligantem, non scribatur, & si unus solus est, ponatur in singulari, si plures in plurali: non coacti, nec in aliquo circumventi, immo gratis, & ex nostra certa scientia ambo in simul, & uterque nostrum in solidum per nos, & nostros heredes, & successores quoscumque vendimus, & ex causa venditionis concedimus vobis R. & venerationes dominis .t. & .t. & vestris in his successoribus, & quibus volueritis, perpetuo unum, vel duo censualia mortua infra scripta, tam scilicet in pretiis, & proprietatibus, quam in pensionibus, & ratis ab inde debendis, ac aliis eorundem accessoriis. Primo totum illud censuale mortuum jam creatum pretii, sive proprietatis .t. librarum, & pensionis annuae .t. solidorum monetae Barcinonensis, quod nobis titulis infra scriptis faciun-*

faciun-

faciunt, & præstant, facereque & præstare tenentur anno quolibet die .r. mensis .r. .r. & .r. conjuges. Item totum illud censuale mortuum jam creatum pretii, seu proprietatis .r. librarum, & pensionis annuæ .r. solidorum ejusdem monetæ Barcinonensis, quod nobis similiter titulis infrascriptis faciunt, & præstant, facereque & præstare tenentur anno quolibet in die .r. & .r. omnes .r. loci. Et spectant prædicta censualia, quæ vobis vendimus, ad me dictum .r. virtute *ponitur exempli causa, ponatur alia vera causa* in solutum dationis, assignationis, & consignationis mihi factæ per honor. .r. in quadam transactione, & concordia inter nos firmata, & jurata cum instrumento recepto per discretum .r. notarium publicum .r. die .r. mensis .r. anni. Ad dictum talem prædicta pertinebant, & spectabant titulo venditionum, & originalium creationum per supranominatos respective eidem factarum, prout constat, videlicet de creatione facta per dictos .r. & .r. conjuges, & alios in censuali pretii .r. librarum nominatos, instrumento publico in pergamento scripto acto in .r. die .r. mensis anni .r. recepto, testificato, & clauso per vener. .r. Rectorem, vel Vicarium, & not. publicum .r. De creatione vero censuali pretii .r. librarum facta per supradicta .r. & .r. alios in dicto censuali nominatos constat instrumento publico in pergamento scripto, acto in dicta villa, seu loco .r. die .r. mensis .r. anni .r. recepto, testificato, & clauso per .r. notar. publ. .r. Et spectant ad nos prædicta, quæ vobis vendimus, nedum titulis supradictis, verum etiam ex antiqua possessione. Quæ quidem censualium instrumenta publica, & authentica vobis tradimus cum præsentibus, ad faciendum inde de eisdem vestra libitum voluntatis. Et est sciendum, quod dicta censualia, quæ vobis vendimus, submissa, & subpolita sunt instrumentis gratiæ redimendi, quæ vos, & vestri in his successores sequi habeatis, & ad unguem servare. Hanc autem venditionem, & ex causa hujusmodi venditionis concessionem facimus nos dicti .r. .r. venditores vobis dictis .r. .r. & vestris in his successoribus & quibus volueritis perpetuo de prædictis; sicut melius dici potest, & intelligi, ac etiam excogitari ad sanum salvamentum, & bonum etiam intellectum vestri, & vestrorum. Extrahimus prædicta, quæ vobis vendimus de jure dominio, proprietate, & posse nostri, & nostrorum; eademque omnia, & singula in vestrum, vestrorumque jus, dominium, proprietatem, possessionem, & posse mittimus, transferimus, & transportamus irrevocabiliter pleno jure ad habendum, tenendum, omnique tempore perpetuo pacifice possidendum, sine contradictione, & impedimento nostri, & nostrorum, & alterius cujuscumque curiæ, & personæ; promittentes tradere vobis, aut cui volueritis loco vestri, possessionem corporalem, seu quasi prædictorum, quæ vobis vendimus, & in ea vos, & vestros in his successores, ac quos volueritis facere existere perpetuo potiores præ ceteris quibuscumque, vel vos, aut vestri, si volueritis, possitis dictam possessionem corporalem, seu quasi quandocumque volueritis libere apprehendere, &

Tom. III.

apprehensam penes vos, & vestros licite retinere: quæ quidem possessio cum per vos, vel vestros apprehensa fuerit, tantum valeat, tantamque obtineat roboris firmitatem, quantum valeret, & obtineret, si per nos vobis tradita exitisset realiter, corporaliter, & de facto. Nos enim interim, id est, donec dictam possessionem vobis tradiderimus, vel vos, aut vestri eam apprehenderitis, ut est dictum, fatemur, & constituimus, nos prædicta, quæ vobis vendimus, pro vobis, & vestris in his successoribus, vestroque & eorum nomine proprio tenere, & possidere, seu quasi, scientes illum de jure possidere, cujus nominæ possidetur; volentes quod vigore horum verborum, & ex juris dispositione, seu ministerio dicta possessio in vos, & vestros in his successores pro tradita, & translata penitus sit, & habeatur, ac si per nos vobis tradita foret realiter, corporaliter & de facto. Præterea ex causa hujusmodi venditionis, & alias, eis videlicet melioribus via, modo, & forma quibus melius scimus, & de jure facere possumus, & debemus damus, cedimus, transferimus, & mandamus vobis, & vestris in his successoribus omnia jura, omnesque actiones reales, & personales, mixtas, utiles, & directas ordinarias, & extraordinarias, & alias etiam quascumque nobis competentia, & competentes, competereque debentia, & debentes in prædictis, quæ vobis supra vendimus, contra prædictos in dictis censualibus obligatos, eorumque & cujuslibet eorum bona, & alias quascumque personas, bona, & res ratione, & occasione eorundem. Quibus juribus, & actionibus supradictis possitis vos, & vestri, & quos volueritis, porras, & pensiones ab inde debendas ex dictis censualibus cum pœnis, salariis, missionibus, & expensis, ac aliis eorundem censualium accessoriis anno quolibet in dictis supra designatis terminis, & in casu litionis eorundem, seu alterius eorum pretium, seu pretia, ac proprietates a prædictis desuper designatis, obligatis in dictis censualibus, & eorum bonis, & ab aliis quibuscumque personis, & bonis, quæ ad hæc teneantur, seu tenebuntur in posterum quavis causa petere, exigere, recipere, & habere, & inde apocham, & apochas, albarana, fines, definitiones, & quovis titulo, sive causa cessiones facere, & firmare, retroclama, sive secundas querelas facere, & exponere, & eorum executiones postulare, & fieri requirere, & instare, & ad finem, & effectum debitum deducere, & alias uti, & experiri agendo scilicet, respondendo, defendendo, excipiendo, proponendo, & replicando, triplicando, & ultra, & omnia alia, & singula faciendo, & libere exercendo in judicio, & extra judicium quæcumque, & quemadmodum nos facere poteramus ante præsentem venditionem, juriumque & actionum cessionem, & possemus etiam eis non factis nunc, & etiam postea quandocumque. Nos enim facimus, & constituimus vos, & vestros in his successores, in his dominos, & procuratores, ut in rem vestram propriam ad faciendum inde de prædictis vestra libitum voluntatis. Dicentes, intimantes, & mandantes tenore præsentis publici instrumenti vicem epistolæ in se ge-

D d d d

rea-

rentis dictis T. T. & T. & eorum fidejussoribus, & aliis etiam quibuscumque personis, quæ ad hæc teneantur, seu tenebuntur in posterum quavis causa, quibus cum hoc eadem prædicta notificamus, quatenus ad solam præsentis publici instrumenti ostensionem, & exhibitionem, vobis, & vestris in his successoribus respondeant, & satisfaciant, pareant, & obediant, sicuti, & prout nobis ante hujusmodi venditionem, juriumque, & actionum cessionem respondere, & satisfacere, parere, & obedire tenebantur, alia intimatione, seu mandato a nobis, seu nostris minime expectatis, & requisitis. Pro pretio vero prædictorum, quæ vobis, & vestris in his successoribus supra vendimus, dedistis, & solvistis nobis, nosque a vobis habuisse, & recepisse confitemur TT. libras monetæ Barcinonensis. Et ideo renuntiando exceptioni dictæ pecuniæ non numeratæ, & non solutæ, & pretii prædicti non recepti, & dolo malo, & in factum actioni, & omni alii juri, rationi, & consuetudini contra hæc repugnantibus damus scienter, & remittimus vobis, & vestris in his successoribus donatione pura, perfecta, simplici, & irrevocabili inter vivos, si quid prædicta, quæ vobis supra vendimus, plus modo valent, aut amodo valebunt pretio ante dicto. Insuper convenimus, & bona fide promittimus vobis, & vestris, quod prædicta, quæ vobis vendimus, faciemus vos, & vestros in eadem successores habere, tenere, percipere, & possidere in sana pace perpetuo contra omnes personas, & de firmitate, & legali evictione, & legitima defensione eorundem *Hujusmodi evictio non semper ponitur, per pactum tamen, ut emptoris juri caveatur, debet poni*, in omnem calum, & eventum, quo ipsa censualia, seu alterum eorum in totum, vel in partem aliquo anno, vel aliquibus annis cessaretur, seu impediretur, contradiceretur, seu retineretur, vel retardaretur, vobis, vel vestris solvi, fieri, seu præstari, lapsis viginti diebus post terminum solutionum dictorum censualis, seu censualium, aut alias quovis casu etiam non cogitato, vel non opinato, & etiam hic non expressato, nos, & nostri dabimus, & solvemus vobis, & vestris realiter, & cum effectu dictas pensionem, seu pensiones, sub & cum illis videlicet salario procuratoris, restitutione missionum, & expensarum, renuntiatione proprii fori, submissione curiarum, pœna tertii, & aliis etiam renuntiationibus, clausulis, & cautelis, in quibus prædicti censualistæ, & alii in, & cum præcalendatis instrumentis sunt stricti, & obligati, volumus vobis, & vestris prævio nomine semper teneri; ac promittimus ex pacto dictas pensionem, seu pensiones dictorum censualium lapsa dicto termino, seu terminis solvere; hoc tamen adjecto, & declarato, quod casu quo oportuerit nos, & nostros vobis, & vestris solvere dictam pensionem, seu pensiones, toties quoties fieri contingat, vos, & vestri in his successores teneamini, & teneantur nobis, & nostris facere apocham de soluto, & locum vestrum cedere, & cessionem facere contra cunctas personas ad præstationem dictorum censualis, seu censua-

lium obligatas, sine evictione, & bonorum vestrorum obligatione. Et pro majori securitate præmissorum, & ut de prædictis omnibus, & singulis vobis, & vestris diligentius cautum sit, damus vobis, & vestris in his successoribus in fidejussorem nostram, & principalem solutorem, qui nobiscum, & sine nobis teneatur vobis, & vestris in solidum pro prædictis, honor. T. T. loci. Ad hæc ego T. fidejussor præfatus laudans prædicta, dictamque fidejussionem gratis in me suscipiens & acceptans gratis, & ex mea certa scientia, convenio, & bona fide promitto, quod cum dictis principalibus meis, & sine eis tenebor, & teneri volo vobis, & vestris in solidum pro prædictis, prædictaque per dictos meos principales vobis supra promissa attendam, & complebo, attendique, & compleri faciam, sub, & cum eisdem salariis restitutione missionum, renuntiatione proprii, submissione curiarum, pœna tertii, & aliis etiam renuntiationibus, & clausulis, prout melius, & plenius superius est expressum. Et pro prædictis omnibus, & singulis complendis, & firmiter attendendis, tenendis, & inviolabiliter observandis obligamus nos superius nominati tam principales quam fidejussor, vobis dictis dominis emptoribus, & vestris in his successoribus omnia, & singula bona nostra, & cujuslibet nostrum in solidum mobilia, & immobilia, ubique sint habita, & habenda, privilegiata, & non privilegiata: renuntiantes quantum ad hæc beneficia novarum constitutionum, & dividendarum, ac cedendarum actionum, & epistolæ divi Adriani, & consuetudini Barcinonensi loquenti de duobus, vel pluribus in solidum se obligantibus. Et ego dicta mulier renuntio expresse certiorata prius de juribus meis per notarium infra scriptum, beneficio Vellejani senatusconsulti in favorem mulierum introducto, & authenticæ incipienti: *Si qua mulier*, positæ C. ad Vellejanum; dotique & sponsalicio meis, & juribus hypothecarum mearum, quæ habeo, & habere debeo in hereditate, & bonis dicti viri mei: quæ omnia ex pacto vobis, & vestris remitto, & in his vos mihi præferri volo, & consentio. Et ego dictus fidejussor renuntio etiam expresse legi, sive juri dicenti, quod prius conveniatur principalis, quam fidejussor; & alii dicenti, quod sublato principali, tollatur accessorium. Et omnes denique tam principales, quam fidejussores renuntiamus omni alii juri, rationi, & consuetudini contra hæc repugnantibus quovis modo. Et ut prædicta omnia, & singula majori robore fulciantur, non vi, nec dolo, sed sponte juramus in animas nostras per Dominum Deum, & ejus sancta quattuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, prædicta omnia, & singula attendere, & complere, tenere, & inviolabiliter observare, & in nullo contra facere, vel venire, jure aliquo, causa, vel etiam ratione. Actum est hoc in tali loco, die T. mensis T. anno a nativitate Domini T. Sig † † † na nostrum T. & T. conjugum principalium, & T. fidejussoris prædictorum, qui hæc laudamus, concedimus, firmamus, & juramus.

Testes hujus rei sunt T. & T.

Apo-

*Apocha pretii retroscripti censualis iam creati.*  
**S**IT omnibus notum, quod nos T. & T. ejus uxor, gratis, & ex nostra certa scientia confitemur, & in veritate recognoscimus vobis T. quod dedistis, & solvistis nobis, nosque a vobis habuimus, & recepimus, bene, & plenarie numerando, realiter, & de facto, in notarii, & testium infracriptorum presentia, omnes illas T. libras monetæ Barcinonensis, pro quibus, sive quarum pretio vendidimus vobis, & vestris in his successoribus perpetuo unum, vel duo censualia mortua iam creata; alterum scilicet pretii, & proprietatis T. librarum, & pensionis annuæ T. solidorum monetæ Barcinonensis, quod nobis certis, justis, & legitimis titulis faciebant, & præstabant, ac facere, & præstare tenebantur anno quolibet, die T. mensis T. ille T. & illa T. conjuges, & T. T. Alterum vero pretii, sive proprietatis T. librarum, & pensionis annuæ totidem solidorum ejusdem monetæ Barcinonensis, quod nobis similiter faciebant, & præstabant, ac facere & præstare tenebantur anno quolibet, in die, seu festo sancti T. mensis T. ille T. & T. T. prout de dicta venditione constat instrumento publico die T. infracriptorum mensis, & anni in posse not. infracripti confecto, ad quod habeatur relatio. Et ideo in testimonium præmissorum præsentem vobis facimus apocham de soluto, atque recepto. Actum est hoc die T. mensis T. Anno a natiuitate Domini T. Sig. † † na nostrum T. & T. conjugum consentientium prædicta, qui hæc laudamus, concedimus, & firmamus.

Testes hujus rei sunt honor. T. & T.

*Venditio censualis mortui, quæ fit pro solvendo, & pacando partem pretii alicujus mansi.*

**I**N Dei nomine. Noverint universi, quod nos T. & T. ejus uxor, quia pro solvendo, & pacando partem pretii manti, & hereditatum ejusdem per nos emptarum a T. nomine suo proprio, & procuratorio dominæ T. ejus matris infra specialiter obligatæ, indigemus pecuniæ quantitate infra scripta, quam alias minori damno nostro habere nequimus, quam per viam venditionis censualis mortui infra scripti; idcirco non coacti, nec in aliquo circumventi, immo gratis, & ex nostra certa scientia, per nos, & omnes nostros heredes, & successores quoscumque vendimus, & titulo venditionis concedimus vobis venerabilis T. illius ecclesiæ T. beneficiato, pro Reverendo Capitulo, vel communitate ejusdem ecclesiæ, & discreto T. civi, vel habitatori, aut incolæ ejusdem civitatis, vel loci, pro dicta civitate, vel loco administratoribus T. hospitalis, vel causæ piæ T. e mentibus nomine, & ad opus dictæ ecclesiæ, vel hospitalis, vel causæ piæ, & vestris in dicta administratione successoribus, & quibus dicto nomine volueritis, perpetuo, instrumento tamen seu pacto gratiæ redimendi mediante, pretio T. librarum monetæ Barcinonensis processarum ex luitione illius censualis mortui consimilis pretii, quod dicti T. & T. ut heredes, seu possessores bonorum, quæ fuerunt quondam T. vobis dicto nomine, seu dicto hospitali, aut loco annis singulis faciebant, & præstabant die T. De quo qui-

dem pretio sumus a vobis bene pacati, & contenti omni nostræ voluntati. Super quibus renuntiamus exceptioni dictæ pecuniæ non numeratæ, & non solutæ, non habitæ, & non receptæ, pretiique non soluti, venditionis non factæ, & dolo malo & in factum actioni, tot solidos dictæ monetæ censuales annuales, rendales, & perpetuales, sive de censuali mortuo sic vulgariter nuncupato; absque tamen laudimio, firma, & fatiga; sed cum ampara, & omni alia coercione, & districtu habendi, & exigendi eosdem immunes, francos, & quitios ab omnibus, & singulis quæstis, tallis, collectis, hoste, cavalcata, contributione, servitute, onere, & munere servitutis publico, & privato, dominorum, & vicinorum, emparis, repressaliis, pigneribus, sive marchis, aliisque impedimentis quocumque nomine censeantur, ac sumptibus, missionibus, & expensis. Quos quidem T. solidos censuales imponimus, & incarricamus specialiter, & expresse in, & super quadam domo nostra sita in præsentem civitate, vel loco T. in vico dicto T. & affrontatur a parte ante cum dicto vico T. a parte retro cum horto T. ex uno latere, & de alio latere cum T. Item in, & super toto dicto manso cum terris, honoribus, & possessionibus ejusdem tam in horta, quam in siccano, quæ quidem horta est T. jugerum, siccanus vero T. parum plus, vel minus, per nos, ut prædicitur, a dictis T. & T. empto, sito in termino T. in capite hortæ, vel loci ejusdem in parte dicta T. prout confrontant ab Oriente cum T. ab Occidente cum T. a meridie cum T. prout de emptione per nos facta instrumento publico die T. in posse T. notario confecto. Quas quidem domum, & mansum, & hereditates, seu terras prædictas per pactum inter nos, & vos conventum vendere, obligare, impignorare, nec modo aliquo alienare nequeamus, donec dictum censuale fuerit omnino luitum, & quietatum. Et generaliter imponimus, & incarricamus dictum censuale tot solidorum in, & super omnibus, & singulis aliis bonis nostris, & utriusque nostrum in solidum, mobilibus, & immobilibus, habitis ubique & habendis, privilegiatis, & non privilegiatis, solvendorum, apportandorum, tradendorum, & deliberandorum per nos, & nostros, & quemlibet nostrum in solidum vobis, & vestris, & quibus volueritis perpetuo intus præsentem civitatem, vel locum T. & in domo habitationis vestræ dicto nomine, & vestrorum in dicta administratione successorum, aut alibi ubi vos, & ipsi fovebitis, & fovebunt domicilium, infra tamen Cathalonæ principatum, nostris propriis sumptibus, missionibus, & expensis, & ad nostri, & nostrorum periculum, & fortunam, a die præsentem, qua hoc præsens conficitur instrumentum, ad unum annum primo, & continue venturum, & sic deinde anno quolibet in consimili die, sive termino, in pecunia numerata, & non in pigneribus, vel aliis rebus; sine omni videlicet dilatione, excusatione, exceptione, & absque omni damno, gravamine, & missione vestri, & vestrorum. Et si forte pro petendo, vel exigendo dictum censuale in totum, vel in partem vos, vel

vestros sumptus, vel missiones, aut damna aliqua, vel gravamina, facere, vel sustinere contigerit, ullo modo in iudicio, & extra iudicium tam in advocatis, procuratoribus, nuntiis, fagionibus, scripturis, causis, quaestionibus, & controversiis, quam alias quoquo modo; totum illud, quantumcumque sit, vel fuerit, promittimus vobis dicto nomine, & vestris in dicta administratione successoribus restituere, & emendare, omni vestrae, & eorum voluntati: de quibus credatur vobis, & vestris iuramento vestro dicto nomine, & eorum, nullo alio probationum genere requisito. Quod quidem iuramentum per pactum inter nos super his habitum vobis nunc ut ex tunc, & e contra deferimus, & volumus pro delato haberi; & dilationem huiusmodi iuramenti revocare minime valeamus ulterius, si contingat vos dicto nomine, vel vestros in dicta administratione successores ad nos, vel ad nostros ire, vel nuntium aliquem, vel procuratorem vestrum mittere, seu destinare pro petendo, vel exigendo dictum vestrum censuale in totum, vel in partem, aliquo, vel aliquibus, anno, vel annis lapsa termino solutionis praedicto, convenimus, & promittimus dare, & solvere vobis dicto nomine, & vestris in dicta administratione successoribus, aut dicto nuntio, & procuratori vestro, & eorum, pro salario, & laboribus cujuslibet diei, qua laboraveritis, & laboraverint, decem solidos de salario quotidiano, & ultra hoc reficere, & emendare omnes missiones, & expensas, quas vos, aut dictus procurator vester feceritis, & fecerint in praedictis, ut est dictum, & pro his quibus supra, & infra renuntiamus proprio foro nostro, & privilegio proprii fori nostri, & submittimus, astringimus, & obligamus nos, & omnia bona nostra, & successorum nostrorum, mobilia, & immobilia, foro, & iurisdictioni, districtui, examini, cognitioni, & executioni curiarum venerabilium dominorum Officialis, & Vicariorum Tarraconensis aut illius curiae ecclesiasticae, vel saecularis, coram qua, vel quibus nos, & omnia bona nostra, & successorum nostrorum volueritis dicto nomine convenire pro praedictis, de quibus possitis variare, & clamum de una ad alteram mittere, absque refartione missionum, & expensarum, damnorum, & interesse, re integra, vel non integra existente, & quando, & quoties volueritis, sub poena tertii, in quam incidamus, & incurramus, & nostri heredes, & successores incidant, & incurrant, nisi solverimus, & solverint vobis dicto nomine, & vestris in dicta administratione successoribus praedictum censuale anno quolibet, termino praecontento. Quam quidem poenam tertii infrascriptus notarius a nobis dictis venditoribus, nomine dictarum curiarum, & illorum omnium, quorum interfit, legitime stipulatus fuit, & recepit. Renuntiantes juri legis *Si convenerit*, D. de iurisdictione omnium iudicum; & juri revocandi domum, & etiam juri dicenti, poenam tertii non valere, nisi fuerit judicialiter confessata, & juri a quo varietas noscitur reprobata, & quod poena semel exacta amplius peti, seu exigi non potest. Insuper convenimus, & bona fide promit-

timus, quod praedictum censuale mortuum, quod vobis dicto nomine, & vestris in administratione dicti r. hospitalis successoribus vendimus, faciemus vos, & vestros eodem nomine, & quos volueritis, & voluerint, semper habere, tenere, percipere, & possidere in sana pace perpetuo contra omnes personas: & de firma, & legali evictione & de legitima defensione, & de restitutione omnium missionum, expensarum, sumptuum, damnorum, & interesse, ante causam, in causa, & post causam volumus vobis, & vestris dicto nomine semper teneri. Et pro majori securitate praemissorum donamus vobis dicto nomine, & vestris in dicta administratione successoribus, in fidejussores nostros, qui nobiscum, & sine nobis teneantur vobis, & vestris dicto nomine in solidum pro praedictis, honorabilis r. r. & r. Ad haec nos r. r. & r. fidejussores praefati, laudantes praedicta, dictamque fidejussionem gratis in nos acceptantes convenimus, & promittimus vobis dicto nomine, & vestris in dicta administratione successoribus, & quibus volueritis, quod cum dictis principalibus nostris, & sine eis tenebimur vobis, & vestris in solidum pro praedictis, cum illis, videlicet salario procuratoris, renuntiatione proprii fori, & submissione alterius, poena tertii & aliis clausulis, & cautelis, in quibus dicti principales nostri sunt superius astricti, & obligati, prout melius, & plenius superius continetur. Et pro evictione huiusmodi venditionis censualis, & pro omnibus aliis, & singulis supradictis sic firmiter attendendis, complendis, tenendis, & inviolabiliter observandis, obligamus vobis dicto nomine, & vestris in dicta administratione successoribus, videlicet nos dicti principales specialiter, & in speciali obligatione praedictas domum, & mansum, ac hereditates ejusdem superius confrontatas, & terminatas, quas nomine precario, vestro dicto nomine, & vestrorum successorum confitemur tenere, & possidere, scientes illum de jure possidere, cujus nomine possidetur. Quae quidem possessio in nos, & nostros nullatenus transferatur, sed penes vos, & vestros dicto nomine remaneat dicto censuali durante. Et generaliter nos omnes superius nominati, tam principales, quam fidejussores obligamus vobis, & vestris dicto nomine in his successoribus omnia, & singula bona nostra, & cujuslibet nostrum in solidum, mobilia, & immobilia, ubique sint habita, & habenda, privilegiata, vel non privilegiata; & per specialem obligationem non derogetur generali, nec e contra; immo vos, & vestri dicto nomine possitis uti illa, qua malueritis, electione super his vobis, & vestris semper servata. Scienter enim renuntiamus illi legi, sive juri dicenti, quod quamdiu creditor potest satisfieri de specialiter obligatis, manus ad alia non extendat, & alii dicenti, quod prius transeundum sit per specialiter, quam generaliter obligata, & quisque nostrum teneatur vobis, & vestris dicto nomine in solidum pro praedictis, ita quod aliquis nostrum non possit se inde pro alio excusare, seu defendere. Et super his renuntiamus beneficio novarum constitutionum, & dividendarum, ac cedendarum, actio-

actio-



actionum, & epistolæ divi Adriani, & consuetudini Barcinonensi loquenti de duobus, vel pluribus in solidum se obligantibus. Et specialiter ego dicta mulier renuntio beneficio Vellejani senatus-consulti, & authenticæ incipienti *Si qua mulier*, positæ C. ad Vellejanum; & doti, & sponsalicio meis, & juribus hypothecarum mearum, de quibus sum per notarium infrascriptum ad plenum certiorata. Et nos dicti fidejussores renuntiamus illi legi dicenti, quod prius conveniatur principalis, quam fidejussor. Et insuper omnes tam principales, quam fidejussores renuntiamus omni gratiæ, & elongamento serenissimi domini Regis, dominæque Reginæ Aragonum, & eorum liberorum, dominique Archiepiscopi Tarraconensis, & eorum Officialium, & cujuscumque personæ gratiam facere potentis impetrare, vel etiam impetrandæ, tam ad proprium motum, quam ad requisitionem alicujus, qua non utemur, nec uti etiam faciemus aliquo modo in prorogatione solutionis censualis supradicti, sub præstita obligatione. Renuntiamus etiam spatiis trium dierum, quattuor, & sex mensium, & omni alii spatio, & tempori, quod datur, vel conceditur reis confessis, & convictis, ad solvendum pro bonis mobilibus, & immobilibus, vendendis, & subhastandis, & æstimationi proborum hominum faciendæ in bonis immobilibus, quando justum pretium non invenitur, & privilegio animalium aratoriorum, & bonorum utensilium hospitii, & omni appellationi, libelli oblationi, firmæ juris, & litis contestationi, & omnibus aliis juribus, legibus, auxiliis, vel facti remediis nos contra prædicta in aliquo juvantibus. Consentientes etiam ex pacto novæ constitutioni, seu constitutionibus Cathalonæ factis in curiis Barcinonæ propter fortificationem censualium, quoad prædictum censuale, & omnia alia desuper contenta, qua, seu quibus uti possitis vos, & vestri in dicta r. administratione successores, eamque & eas, nos & nostri servare omnino teneamur, & teneantur, & ut prædicta omnia, & singula majori gaudeant firmitate, juramus sponte in animas nostras per dominum Deum, & ejus sancta quattuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, prædicta omnia, & singula attendere, & complere, tenere, & inviolabiliter observare, & in nullo contra facere, vel venire jure aliquo, causa, vel etiam ratione. Actum est hoc in loco r. die r. mensis r. anno a nat. Domini r. Sig † † na nostrum r. & r. conjugum principalium prædictorum, qui hæc laudamus, concedimus, firmamus, & juramus, præsentibus pro testibus r. & r. Sig † num r. r. & r. fidejussorum prædictorum, qui hæc laudamus, concedimus, firmamus, & juramus die r. & anno r. præsentibus pro testibus r. & r.

*Apocha pretii proxime dicti censualis mortui.*

**S**IT omnibus notum, quod nos r. & r. ejus uxor, gratis, & ex nostra certa scientia confitemur, & in veritate recognoscimus vobis vener. r. presbytero illius ecclesiæ r. beneficiato, pro R. Capitulo, vel communitate, & discreto r. pro civitate, vel villa r. administratoribus ho-

spitalis r. vel causæ piæ r. quod dedistis, & solvistis nobis, nosque a vobis habuimus, & recepimus realiter, & de facto in pecunia numeranda omni nostræ voluntati illas r. libras monetæ Barcinonensis, pro quibus five quarum pretio vendidimus vobis, & vestris, & quibus volueritis perpetuo r. solidos censuales, annuales, rendales, five de censuali mortuo sic vulgariter nuncupato prout hæc, & alia in dictæ venditionis instrumento hodie paulo ante istud confectio in posse notarii infrascripti, ad quod nos referimus, latius sunt contenta. Et ideo &c. *Fiat ut in proxima usque.* Actum est hoc in illo loco, die r. mensis r. anno a nativitate Domini r. Sig † † na nostrum r. & r. conjugum consentientium prædictorum, qui hæc laudamus, concedimus, & firmamus.

Testes r. & r.

*Venditio censualis mortui, per universitatem, seu syndicos, cum scriptura tertii.*

**I**N Dei nomine. Noverint universi, quod nos Nota, quod si hujusmodi venditio fiet per eandem universitatem, tunc nomina venditorum debent apponi hoc modo „ quod nos r. bajulus loci de r. pro Excellentissimo domino Duce Cardonæ, vel pro Reverendissimo D. Archiepiscopo Tarraconensi &c. r. r. Jurati anno præfenti dictæ universitatis, r. r. r. r. omnes consiliarii, vicini, & habitatores dicti loci, convocati, & congregati de mandato dicti bajuli, ad requisitionem nostram dictorum Juratorum in r. loco voce præconis, vel ad sonum campanæ, ubi alias pro similibus actibus, & negotiis dictæ universitatis soliti sumus convocari, & congregari, consiliantes, & consilium generale dictæ universitatis tenentes, celebrantes, & representantes, tamquam major, & sanior pars, & plus quam duæ partes consiliariorum dictæ universitatis, habita ratione præsentium, absentium, & impeditorum; Attendentes &c. “ r. r. & r. vicini, & habitatores, consilarii, syndici, actores, & procuratores una cum aliis, & in solidum, singularium, & universitatis villæ r. dicecesis r. prout de dicto syndicato, actoria, & procuratore constat instrumento publico papyreo, vel pergameneo, actio in villa prædicta de r. & in aula domus consilii ejusdem villæ, die r. mensis r. proxime præteriti, scilicet anni Domini r. per magnificum r. dominum dictæ villæ, five alio r. auctorizato, & decretato, clausoque five subsignato per discretum r. Attendentes, & considerantes, nos dictis nominibus, dictosque singulares principales nostros, de dicta universitate, Divina permittente clementia, & bonitate, quam plurimum indigere frumentis, vel ponatur alia causa vera quæ propter temporis sterilitatem ad magnum ascenderunt pretium & forum, & etiam de die in diem ascendere speratur; attendentes etiam, sapientium, & prudentium esse providere futuris, præ maxime in his, quæ reipublicæ tangere videntur, commodum, & utilitatem, præcipue in frumentis, sine quibus quis vitam humanam pertransire nequit: & cum in provisione præmissorum opus sit pecuniis, quibus

bus dicta universitas ad præfens caret, carereque videtur; ad quas habendas pluribus per nos perquisitis viis, modis, atque formis, promptiorem modum nobis, nec dictæ universitati, & ejus singularibus minus damnosum invenire nequimus, quam per viam venditionis censualis mortui infra scripti. Idcirco utilitate dictæ universitatis, & nostrorum singularium personarum ejusdem attendita, & considerata, non coacti, nec in aliquo circumventi, immo gratis, & ex nostra certa scientia, matura deliberatione, & consilio præeunte, per nos nominibus propriis, & per nostros successores, dictamque universitatem, & singulares de eadem præfentes, absentes, & futuros; agentes hæc de, & cum auctoritatibus, & decreto Excellentissimi D. Ducis r. vel Reverendissimi Archiepiscopi r. domini dicti loci de r. inferius auctorizantis, & decretantis, vendimus &c. *ut in proximo* vobis r. & vestris in his successoribus & quibus volueritis, perpetuo, instrumento tamen gratiæ, seu pacto redimendi mediante, pretio r. librarum monetæ Barcinonensis, de quibus &c. super quibus &c. *Fiat mutatis mutandis, ut in proximo* r. solidos ejusdem monetæ Barcinonensis censuales &c. francos &c. Quos quidem r. solidos censuales imponimus, & incarricamus in, & super omnibus, & singulis bonis nostris, & dictæ universitatis, & singularium ejusdem, absentium, præfentium, & futurorum, & cujuslibet nostrum, & eorum in solidum, mobilibus &c. *ut in prædicto censuali* solvendos, & portandos, tradendos, & deliberandos per nos, & nostros dictis nominibus, dictamque universitatem & in eadem successores vobis, & vestris in his successoribus intus præsentem civitatem r. vel locum r. & in domo habitationis vestri, & vestrorum in his successorum, aut alibi, ubi vos, & vestri fovebitis & fovebunt domicilium, infra tamen præsentem principatum Cathalonæ, nostris, & dictæ universitatis propriis sumptibus, missionibus, & expensis, & ad nostri dictis nominibus, dictæque universitatis, & singularium de eadem periculum, & fortunam, a die præfenti, quo hoc præfens conficitur instrumentum, ad unum annum primo, & immediate venturum, & sic deinde anno quolibet in dicto termino, sive die r. in pecunia numerata, & non in pignoribus, vel aliis rebus sine omni videlicet dilatione &c. *Fiat ut in prædicto, cum salario procuratoris decem solidorum, &c. usque &c.* Et quod pœna semel exacta amplius peti, seu exigi non potest. Insuper convenimus dictis nominibus, & promittimus vobis, & vestris in his successoribus, quod prædictum censuale, quod dictis nominibus vobis vendimus, faciemus præviis nominibus, & dicta universitas faciet vos & vestros in his successores, & quos volueritis, habere, &c. & de firma, & legali evictione &c. volumus dictis nominibus, & dicta universitas, & ejus singulares præfentes, absentes, & futuri volunt vobis, & vestris in his successoribus semper teneri. Et pro evictione hujusmodi venditionis censualis, & pro omnibus aliis, & singulis supradictis, & infra scriptis, sic firmiter attendendis &c. obligamus dictis nominibus nos, & omnia

bona nostra propria, & dictæ universitatis, & singularium de eadem præfentium, absentium, & futurorum, & cujuslibet nostrum, & eorum in solidum, mobilia &c. Et quisque nostrum, & eorum &c. Ita quod aliquis nostrum, & eorum &c. Et super his renuntiamus dictis nominibus beneficio novarum constitutionum &c. & epistolæ &c. *Fiat semper mutatis mutandis, ut in præmissis, usque.* Et etiam renuntiamus dictis nominibus omni alii juri tam canonico, quam civili his obvianti, & omni gratiæ, & elongamento serenissimi domini Regis, dominæque Reginæ Aragonum, & eorum liberorum, *Fiat large, ut in præmissis.* Et est sciendum, quod prædictum censuale mortuum, quod vobis dictis nominibus vendimus, pœnas, salaria, missiones, & alia omnia, & singula in præfenti venditionis instrumento contenta, & specificata, nos dicti venditores dictis nominibus, & quolibet nomine in solidum scribimus, & seu scripturi sumus, & sub pœna tertii solvere promittimus nos dictis nominibus, & quolibet nomine in solidum, & seu quod dicti nostri principales in supra designato instrumento syndicatus, & procurationis, nominati nomine proprio, & dicta universitas, & ejusdem singulares solverit, & solverint vobis, & vestris in libro tertiorum curiæ honor. Vicarii, seu regentibus Vicariam Barcinonensem, proinde personas, & bona, ac jura nostra, & dictorum principalium nostrorum, & dictæ universitatis, & singularium de eadem obligando. Et quia nos dicti venditores dictis nominibus, & nostri principales, ac consilium dictæ universitatis, & singularium de eadem sumus, & suat extra Vicariam Barcinonensem de certa scientia, & præfatis nominibus nostris propriis constituimus, & ut procuratores, ac syndici singularium, & dictæ universitatis prædictæ substituimus, & ordinamus, prout dicti singulares, & consiliiarii in dicto, & præcalendato instrumento syndicatus, & procurationis constituerunt procuratores nostros, & eorum, & dictæ universitatis certos, & speciales, & ad subscripta etiam generales; ita tamen quod specialitas generalitati non derogat, nec e contra; omnes, & quoscumque notarios, & causidicos præfentes, & futuros intervenientes in dicta curia dicti honor. Vicarii Barcinonensis licet absentes tanquam præfentes, quorum nomina hic haberi volumus pro expressis, ad videlicet pro nominibus, & nomine nostro proprio, & etiam nomine illorum, quorum procuratores sumus, ac etiam nomine dictæ universitatis, & ejus singularium præfentium, absentium, & futurorum, & quolibet eorum in solidum, comparandum, & interessendum coram dicto Vicario, seu regente Vicariam Barcinonensem, seu in ejus curia, ubique dictum censuale mortuum, & ejus annuas pensiones, pœnas, salaria, & missiones, sub pœna tertii, scribendum, & solvere promittendum, firmandumque dictam tertii scripturam; & proinde personas, & bona, & jura nostra, & dictorum principalium nostrorum, & dictæ universitatis, & ejusdem singularium, præfentium, absentium, & futurorum, & cujuslibet nostrum, & eorum in solidum obli-

gan-

gandum, & alia faciendum, quæ inde fieri requirantur. Promittentes dictis nominibus nos, & dictos nostros principales, & dictam universitatem, & ejus singulares habere ratum, gratum, validum, atque firmum quidquid per dictos procuratores, & syndicos nostros, & dictæ universitatis, & singularium de eadem, & quemlibet eorum in solidum, in prædictis, & circa prædicta procuratum, & actum fuerit quomodolibet, sive gestum, & nullo tempore revocare, sub bonorum nostrorum, & dictorum nostrorum principalium, & dictæ universitatis, & ejus singularium, & cujuslibet nostrum, & eorum in solidum omnium obligatione: volentes, & consentientes dictis nominibus, quod per præsentem, seu dictam tertii scripturam huic instrumento, vel e converso, nullum fiat præjudicium, novatio, seu derogatio tacite, vel expresse: immo utraque cautio, & obligatio sit, & remaneat in suis plenis robore, & valore, & una alteri accrescat & consolidetur: vosque dictus emptor, & vestri possitis, & possint eis omnibus securitatibus, & utraque ipsarum simul, vel divisim libere uti, & eas semel, & pluries variare, dum de prædictis omnibus & singulis aliquid debeatur. Et ut prædicta omnia & singula &c. *ut in prædicto, usque.* Actum est hoc in dicto loco de T. die T. mensis T. anno a nativitate Domini T. Sig ††††† na nostrum T. & T. Juratorum, & T. T. T. & T. Syndicorum dictæ universitatis, qui hæc dictis nominibus laudamus, concedimus, firmamus, & juramus.

Testes T. & T.

Fiat apocha, sicut solutio fieret, ut in proximo, mutatis mutandis, & additis addendis.

*Instrumentum luitionis, & definitionis censualis.*

**S**IT omnibus notum, quod ego T. gratis, & ex mea certa scientia confiteor, & in veritate recognosco vobis T. hic præsentibus quod luitis, quitastis, & redemistis a me totum illud censuale mortuum pretii, sive proprietatis T. librarum, & pensionis annuæ T. solidorum monetæ Barcinonensis, quod anno quolibet, die T. mensis T. titulis infra scriptis mihi faciebatis, & præstabatis, facereque & præstare tenebamini. Quod quidem censuale pertinet, & spectat ad me ut heredem universalem T. prout de mea hereditate constat ejus ultimo testamento, quod inde condidit, fecit, & firmavit in civitate T. vel loco T. die T. mensis T. anni T. penes T. not. civem T. Ad dictum vero T. prædictum censuale pertinebat, & spectabat titulo suæ propriæ emptionis, quam exinde de eo fecit a T. cum instrumento penes T. not. T. Quod siquidem censuale instrumentum in ejus propria forma, & figura vobis restituo, & torno, ad illud videlicet per vos cessandum, cancellandum, lineandum, & annullandum, prout ego cum præsentem ipsum casso, cancello, lineo, & annullo, & pro cassato, cancello, lineato, & annullato haberi volo, & censeo, tam in dicta ejus propria forma, & figura, quam nota, & apertissima, & aliis ejusdem censuales accessoriis; ita, & taliter quod in judicio, nec extra nullam de cetero obtineat roboris firmitatem,

nulliusque sit roboris, nec momenti: & sic quod mihi, nec meis prodesse, nec vobis, nec vestris, nec aliis in dicto censuali obligatis obesse possit, atque valeat in futurum. Pro qua quidem luitio- ne, quitatione, & redemptione dicti censuales dedistis, & solvistis, ac restituitis mihi, egoque a vobis habui, & recepi realiter, & de facto numerando in præsentia nota: & testium infra scriptorum T. libras monetæ Barcinonensis pro pretio dicti censuales: nec non confiteor me fore solutum, & plenarie satisfactum de omnibus pensionibus, & rata, ratione dicti censuales usque in præsentem diem debitis. Et ideo ab ipsis pretio, pensionibus, & rata, & ab illius annuæ pensionis præstatione, nec non ab omni actione, quæ- sitione, petitione, & demanda, quam vobis, & vestris ex causis prædictis facere, proponere, movere, seu etiam intentare possem, vos, & vestros, & bona vestra, & aliorum in dicto censuali obligatorum penitus absolvo, & facio vobis, & eis bonum finem, & pactum firmissimum de ulterius aliquid non petendo, & de non agendo amodo quidquam de prædictis; super his mihi, & meis silentium perpetuum imponendo, omnemque agendi viam penitus abdicando, & præcludendo, sicut melius dici potest, & intelligi ad vestrum, vestrorumque salvamentum, sanum, & bonum etiam intellectum. Actum est hoc T. die T. mensis T. anno a nativitate Domini T. Sig † num T. consentientis prædicti, qui hæc laudo, concedo, & firmo.

Testes T. T.

*Venditio proprietatis, sive prædii facta per manumissores testamentarios.*

**N**Overint universi, quod nos T. T. & T. ci- ves, vel incolæ, vel habitatores T. loci, manumissores, & executores testamenti, seu ultimæ voluntatis vener. T. presbyteri quondam beneficiati T. ecclesiæ T. loci T. qui dominium Deum, & ejus animam, & causas pias heredes instituit universales, sive legata pia fecit, prout de nostra manumissoria constat ejusdem vener. T. codicillo, quod inde condidit, & firmavit coram T. notario, die T. mensis T. proxime præteriti, dicto nomine insequendo voluntatem dicti testatoris, qui morte sua secuta voluit, & mandavit omnia bona sua vendi in encantu publico plus dantibus, & offerentibus. Ideo gratis &c. agentes hæc de, & cum consensu, auctoritate, & decreto R. domini officialis, & Vicarii generalis Tarraconensis per nos dicto nomine, & seu verius dictam manumissoriam, & in ea successores quoscumque vendimus, & titulo venditionis concedimus vobis vener. T. non ut presbytero, sed ut laicæ, & privatæ personæ, & non de pecuniis ecclesiæ, sed vestris labore, & industria acquisitis, ementi in encantu publico tamquam plus danti, & offerenti, mediantibus proxenetis, sive curritoribus infra scriptis, & vestris & quibus volueritis, perpetuo, pretio T. librarum Barcinonensium, de quibus &c. super quibus &c. *Fiat mutatis mutandis, ut in prima venditione: quoddam hospitium, sive domum, & quoddam viridarium eidem hospicio contiguum,*  
five

sive quoddam prædium, hospitium videlicet, situm in præsentis civitate, vel tali loco, in vico dicto T. prout affrontatur dictum hospitium, vel domus de uno latere cum hospicio T. ex alio latere cum hospicio magnifici T. a parte retro cum hospicio heredum T. partim, & partim cum dicto viridario, & a parte ante cum dicto vico: & tenetur per Reverend. T. ad censum T. librarum Barcinonensium anno quolibet solvendorum in festo T. dictum vero viridarium, vel prædium affrontatur ex una parte &c. *Designentur ut supra, usque:* Supradictum autem hospitium, & viridarium superius confrontatum, & terminatum &c. cum ingressibus &c. & cum omnibus melioramentis &c. *Fiat semper large, ut in præmissis:* salva tamen fidelitate: *Nota, ut supra in prima formula:* ecclesie Tarraconensis &c. & salvis dictis censibus, juribus directis dominiis, laudimiis, firmis, emparis, & faticis triginta dierum, & alio etiam quolibet pleno jure dictorum T. & T. & in eis successorum, sicut nos dicto manumissorio nomine melius habemus &c. *Fiat, ut in jam dicto præmissis, usque:* Insuper convenimus, & bona fide promittimus dicto nomine vobis, & vestris, quod prædicta, quæ vobis vendimus, faciemus, seu verius dicta manumissoria faciet vos, & vestros, & quos volueritis habere &c. & de firma, & legali evictione &c. Ita quod omni contradicenti, seu contradicentibus nos dictis nominibus opponemus, & seu nostri in dicta manumissoria succedores se opponent, & ad quæstionem, seu domandam, litem, vel controversiam, si vobis, vel vestris mota fuerit super prædictis, in totum scilicet, vel in partem, satisfidabimus, & satisfidabunt pro vobis, & vestris, & recipiemus libellum, seu libellos, & respondebimus, & respondebunt eisdem, succipiendo in nos, & nostros totum litigium, & agemus, seu ducemus, & agent, seu ducent causam, seu causas a principio litis usque ad finem, nostris, & nostrorum dictis nominibus, propriis sumptibus, missionibus, & expensis: vel si vos, vel vestri magis volueritis possitis ipsam causam, seu causas ducere, & tractare in propriis personis vestris, vel per procuratorem vestrum; vobis, & vestris super his electione semper servata. Scienter enim remittimus vobis, & vestris ex pacto necessitatem denuntiandi, ac etiam appellandi: & si vos, vel vestri magis elegeritis ipsam causam, seu causas ducere, & tractare in propriis personis vestris, vel per procuratorem vestrum; promittimus vobis, & vestris restituere, & emendare omnes missiones, & expensas in lite, & circa litem factas, sive obtineatis vos, & vestri, sive etiam succumbatis, etiam totum id, quod a vobis, vel vestris evictum fuerit de præmissis; & nihilominus omne damnum, gravamen, sumptus, & missiones, si quod, vel si quas vos, vel vestros inde pro prædictis facere, seu sustinere contigerit ullo modo, de quibus credatur vobis, & vestris juramento vestro, & eorum proprio, nullo alio probationum genere requisito. Quod juramentum, per pactum inter nos super his habitum, nunc, ut ex tunc, & e contra deferimus, & volumus pro delato

haberi; & delationem hujusmodi juramenti revocare minime valeamus. Et pro ipsa evictione, & pro omnibus aliis, & singulis supradictis, & infrascriptis sic firmiter attendendis &c. obligamus dictis nominibus vobis, & vestris, & quibus volueritis perpetuo omnia, & singula bona, & jura dictæ manumissoria, mobilia, & immobilia, habita ubique, & habenda, privilegiata, vel non: bona autem nostra non intendimus in aliquo obligare, cum negotium geramus alienum. Et super his renuntiamus omni, & cuicumque juri &c. Et ut prædicta &c. juramus sponte dictis nominibus per dominum Deum, & ejus sancta quatuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, prædicta omnia, & singula attendere &c. *Fiat semper, ut in prima venditione proprietatis, usque &c.* jure aliquo, causa, vel etiam ratione. Ad hæc nos T. & T. curritores sive proxenetæ publici, & jurati præsentis civitatis, sive loci T. referimus, & fidem facimus nos encantasse, & subhastasse prædictum hospitium, sive domum & viridarium per loca solita præsentis civitatis, vel loci, non solum per triginta dies, ut moris est, verum etiam amplius; & cum ad nos multi emptores accessissent, non accessit alius emptor, qui tantum pretium se offerret daturum, quantum vos dictus T. qui obtulistis vos daturum prædictas T. libras Barcinonenses. Ideo vobis tamquam plus danti, & offerenti in encantu publico prædictum hospitium, sive domum, & viridarium liberamus. Actum &c. Sig † † † na nostrum T. T. & T. manumissorum prædictorum, qui hæc dictis nominibus laudo, confirmo, & juro.

Testes T. & T.

SIT omnibus notum, quod &c.

*Fiat apocha dicti pretii.*

*Incarriatio censualis.*

**I**N Dei nomine. Noveriat universi, quod nos T. & T. attendentes nos cum instrumento penes nos. infrascriptum recepto die T. emisse a vobis T. quendam hortum confrontatum ab Oriente &c. Attendentes insuper, & considerantes, nos non habere pecunias numerabiles, quibus solvere possemus T. libras monetæ Barcinonensis, quæ sunt pars pretii dicti horti, fuisseque pactatum, & conventum inter nos, & vos, ut pro ipsis penes nos & bona nostra, & ad onus nostrum solvendi, pariterque luendi, assumere, & incarricare teneamur totum illud censuale mortuum pretii, sive proprietatis T. librarum, & pensionis annuæ T. solidorum, quod anno quolibet, die T. mensis T. ratione dicti hospitii, & viridarii faciebatis, & præstabatis magnifico T. ideo pactata, & conventa inter nos adimplere volentes, non coacti, nec in aliquo circumventi, immo gratis, & ex nostra certa scientia, penes nos, & bona nostra, & ad onus nostrum solvendi, pariterque luendi, assumimus, & incarricamus dictum censuale, convenientes, & bona fide promittentes vobis, & dicto magnifico T. licet absenti, & not. infrascripto pro eo, & aliis, quibus interest, & intererit, legitime stipulanti, quod quolibet anno dicto die solvemus, & pacabimus dicto domino T. & suis pensionem dicti censualis nunc currentem, & ab inde

inde

inde debendas, & in casu luitionis ejus pretium & servare vos, & vestros, & bona vestra, & aliorum in primitivo censuali instrumento obligatorum, & aliorum indemnes, & indemnita a prastatione dicti censuali; ita videlicet, quod si forsitan ullo unquam tempore vos nec vestros, nec alios in dicto censuali obligatos, & dictum dominum T. & suos ratione dicti censuali aliqua damna, missiones, expensas, & interesse contigerit pati, restituemus, & emendabimus. Et hæc omnia facere, & adimplere promittimus, sine omni videlicet dilatione &c. *Fiat large, ut in aliis, mutatis mutandis, cum salario procuratoris decem solidorum usque*, & quod poena semel exacta amplius peti, seu exigi non potest. Et pro majori securitate præmissorum donamus vobis, & vestris, dictoque domino T. & suis in fidejussores nostros, qui nobiscum, & sine nobis teneantur vobis, & vestris, & dicto domino T. & suis in solidum pro prædictis, honor. T. & T. agricultores loci T. Ad hæc nos T. & T. fidejussores præfari laudantes prædicta omnia, & singula, dictamque fidejussionem gratis in nos acceptantes, convenimus, & promittimus vobis, & vestris, & dicto T. & suis, quod cum dictis principalibus nostris, & sine eis tenebimur vobis, & vestris, & dicto T. & suis in solidum pro prædictis, sub illis videlicet, renuntiatione proprii fori, submissione curiarum, salario procuratoris, restitutione missionum, poena tertii, & aliis clausulis, & cautelis, in quibus dicti principales nostri sunt superius attracti, & obligati. Et pro prædictis, & infra scriptis omnibus, & singulis attendendis, tenendis, complendis, & inviolabiliter observandis obligamus, videlicet nos dicti principales specialiter, & in speciali, prædictum viridarium, & hospitium superius confrontatum, & terminatum; item etiam alium hortum nostrum situm prope dictum hortum, affrontatur &c. quos nomine precario vestri, & vestrorum, & dicti T. & suorum, confitemur tenere, & possidere, scientes illum de jure possidere, cujus nomine possidetur: quæ quidem possessio in nos, & nostros nullatenus transferatur, sed penes vos, & vestros remaneat, dicto censuali durante. Et generaliter nos omnes, tam principales, quam fidejussores obligamus vobis, & vestris, & dicto T. & suis omnia, & singula bona nostra, & cujuslibet nostrum in solidum, mobilia, & immobilia, ubique sint habita, & habenda, privilegiata, & non privilegiata: & per specialem obligationem non derogetur generali, nec e contra; immo vos, & vestri possitis uti illa, qua malueritis, electione super his vobis, & vestris semper servata. Scienter enim remittimus illi legi, sive juri dicenti, quod quamdiu creditor potest satisfieri de specialiter obligatis, manus ad alia non extendat, & alii dicenti, quod prius transeundum sit per specialiter, quam generaliter obligata: & uterque nostrum teneatur vobis, & vestris in solidum pro prædictis; ita quod aliquis nostrum non possit se inde pro altero exculare, seu defendere: & super his renuntiamus beneficio novarum constitutionum, & dividendarum actionum, & epistola D. Adriani loquenti

Tom. III.

de duobus, vel pluribus, in solidum se obligantibus. Et specialiter ego dicta mulier renuntio beneficio Vellejani senatusconsulti, & juribus hypothecarum mearum, de quibus sum per notarium infra scriptum ad plenum certiorata. Et nos dicti fidejussores renuntiamus illi legi dicenti, quod prius conveniatur principalis, quam fidejussor. Et omnes, tam principales, quam fidejussores renuntiamus omni gratiæ, & elongamento serenissimi domini Regis, dominæque Reginae Aragonum, & eorum liberorum, dominique Archiepiscopi Tarraconensis, & eorum officialium, & cujuscumque personæ gratiam facere potentis impetratæ, vel impetrandæ, tam ad proprium motum, quam ad requisitionem alicujus; qua non utemur, nec uti etiam faciemus aliquo modo in prorogatione solutionis censuali supradicti, sub præstita obligatione. Renuntiamus etiam spatio trium dierum quattuor, & sex mensium, & omni alii spatio, & tempori, quod datur, vel conceditur reis confessis, & convictis ad solvendum, pro bonis mobilibus, & immobilibus vendendis, & subhastandis, æstimatione proborum hominum facienda in bonis immobilibus, quando justum pretium non invenitur, & privilegio animalium aratoriorum, & honorum utensilium hospitii, & omni appellacioni, libelli oblationi, firmæ juris, & litis contestationi, & omnibus aliis juribus, legibus, auxiliis, vel facti remediis nos contra prædicta in aliquo juvantibus. Consentientes etiam ex pacto novæ constitutioni, seu constitutionibus Cathalonæ factis in curiis Barcinonensibus propter fortificationem censualium, quo ad prædicta, & omnia & singula majori gaudeant firmitate: & juramus sponte in animas nostras per dominum Deum, & ejus sancta quattuor Evangelia manibus nostris corporaliter tacta, prædicta omnia, & singula attendere, & complere, tenere, & inviolabiliter observare, & in nullo contra facere, vel venire, jure aliquo, causa, vel etiam ratione. Actum est hoc in T. loco &c. Sig. † † na nostrum T. & T. conjugum venditorum prædictorum, qui hæc laudamus, concedimus, firmamus, & juramus, die T. mensis T. anno a nativitate Domini T. præsentibus testibus T. & T. Sig. † † na nostrum T. & T. fidejussorum prædictorum, qui hæc laudamus, concedimus, firmamus, & juramus die T. prædictorum mensis, & anni; præsentibus pro testibus T. & T.

*Instrumentum in solutum dationis, & consignationis.*

**I**N Dei nomine. Noverint universi, quod nos T. & T. ejus uxor gratis, & ex nostra certa scientia, per nos, & nostros heredes, & successores quoscumque in solutum, & satisfactionem T. librarum per nos vobis magnifica T. debiturum ratione mutui gratiosi, damus, & consignamus vobis dicto magnifico T. & vestris, & quibus volueritis, perpetuo, totum illud conuale mortuum pretii, sive proprietatis T. librarum Barcinonens. & pensionis annuæ totidem solidorum ejusdem monete, quod mihi dicto T. ut usufructuario, durans, & constante nostro matrimonio & mihi dictæ T. ut proprietariae faciunt, & præstant,

E e e

stant, facereque & præstare tenentur anno quolibet, in die, sive festo *r.* mensis *r.* honor. *r.* & *r.* ejus uxor, atque *r.* & *r.* Et pertinet, & spectat, ad nos, videlicet mihi dicto *r.* ut usufructuario, & mihi dictæ *r.* ut proprietariæ, titulo donationis & constitutionis dotalis factæ per honor. *r.* patrem & socerum nostrum respective in capitulis matrimonialibus inter nos in contractu matrimonii factis, & firmatis in posse discreti *r.* ut asseritur, die *r.* anno *r.* Ad dictum vero *r.* patrem, & socerum nostrum respective dictum censuale pertinebat, & spectabat tamquam heredem & successorem universalem, ut dicitur *r.* quondam patris ejus. Ad dictum vero *r.* dictum censuale pertinebat, & spectabat titulo venditionis, & originalis creationis dicti censuales sibi factæ per dictos *r.* & *r.* ejus uxorem, atque *r.* & *r.* prout constat instrumento publico pergameneo, acto in præsentia *r.* notarii, die *r.* mensis *r.* anno a nativitate Domini *r.* clausoque sive subsignato per discretum *r.* Et est sciendum, quod in dicto censuali intervenit instrumentum gratiæ redimendi, quod vos, & vestri sequi habeatis, & teneamini. Hanc itaque in solutum dationem, & consignationem facimus nos dicti conjuges *r.* & *r.* vobis dicto magnifico *r.* & vestris, & quibus volueritis perpetuo de prædictis, sicut melius, & utilius dici, scribi, & intelligi potest ad bonum, verum, sanum, & rectum, ac sincerum etiam intellectum vestri, & vestrorum. Extrahimus prædicta, quæ vobis vendimus de jure dominio, proprietate, & posse nostri, & nostrorum: eademque omnia, & singula in vestrum, vestrorumque jus, dominium, proprietatem, & posse mittimus transferimus, & transportamus irrevocabiliter, pleno jure ad habendum, tenendum, omnique tempore pacifice possidendum, & ad faciendum inde vestræ libitum voluntati, sine contradictione, & impedimento nostri, & nostrorum, & alterius cujuscumque personæ, promittentes vobis, vel cui volueritis loco vestri, tradere vobis, vel cui volueritis loco vestri, possessionem corporalem, seu quasi prædictorum, quæ vobis in solutum damus, & consignamus; & in ea faciemus vos, vel vestros, & quos volueritis loco vestri, perpetuo existere potiores, ut vos, aut vestri, si volueritis, possitis ipsam possessionem vestra, & eorum propria auctoritate, & absque licentia, & permisso nostri, & alicujus curiæ, seu personæ, libere apprehendere, & apprehensam licite retinere. Quæ quidem possessionis apprehensio tantum valeat, & tantum obtineat roboris firmitatem, quantum valeret, & obtineret, ac si per nos tradita extitisset realiter, & de facto. Nos enim interim, & donec dictam possessionem vobis tradiderimus, vel vos eam apprehenderitis, ut est dictum, fatemur, & constituimus, nos prædicta pro vobis, vestroque nomine precario tenere, & possidere, seu quasi, scientes illum de jure possidere, cujus nomine possidetur, volentique vigore horum verborum, & ex juris dispositione, quod dicta possessio in vos, & vestros pro tradita, & translata penitus habeatur. Præterea ex causa hujusmodi in solutum dationis, & consignationis, & a-

lias, damus, cedimus, transferimus, & mandamus vobis, & vestris omnia jura, omnesque actiones reales, & personales, mixtas, utiles, & directas, ordinarias, & extraordinarias, & alias quascumque nobis competentia, & competentes, competereque debentia, & debentes in prædictis, quæ vobis in solutum damus, & consignamus, & contra quascumque personas, & res ratione, & occasione præmissorum. Quibus juribus, & actionibus supradictis possitis vos, & vestri, & quos volueritis, pensionem nunc currentem, & deinde futuras pensiones dicti censuales, & ab inde debendas, cum pœnis, salariis, missionibus, & expensis, & aliis dicti censuales accessoriis, & in casu luitionis ejusdem pretium a dictis obligatis in dicto censuali, & ab aliis quibuscumque personis, quæ ad hæc teneantur, seu tenebuntur in posterum, quavis causa petere, exigere, recipere, consequi & habere, & inde apocham, & apochas, albarana, fines, definitiones, & quovis titulo, sive causa cessiones facere, & firmare retroclama, sive secundas querelas, & alias executiones facere, & exponere, & postulare, & ad debitum effectum perducere, & perducere instare, & alias uti, & experiri agendo scilicet, respondendo, defendendo, excipiendo, proponendo, & replicando, & omnia alia, & singula faciendo, & libere exercendo in judicio, & extra judicium, quæcumque & quemadmodum nos facere poteramus ante præsentem in solutum dationem, juriumque, & actionum cessionem; & possimus nunc, ac etiam postea quandocumque. Nos enim facimus, & constituimus vos, & vestros in his dominos, & procuratores, ut in rem vestram propriam, ad faciendum inde vestras liberas voluntates: dicentes, intimantes &c. *Fiat large mutatis mutandis, ut in instrumento venditionis censuales creati.*

*Venditio proprietatis, facta per tutores, & curatores testamentarios pupillorum, cum auctoritate, & decreto curiæ.*

**N**overint universi, quod nos *r.* & *r.* tutores, & curatores testamentarii *r.* filii, & heredis quondam *r.* prout de nostris tutela, & cura constat ultimo testamento ejusdem *r.* quod fecit, & firmavit apud discretum *r.* notarium publicum, die *r.* mensis *r.* anno *r.* dicto nomine, attendentes hereditatem, & bona dicti pupilli fore diversis debitis obnoxia, & obligata, & specialiter in quodam censuali mortuo pensionis annuæ *r.* solidorum, proprietatis vero *r.* librarum, quod dictus *r.* dum vivebat, faciebat, & postea ejus heres facit, & præstat *r.* sive anniversariis, & distributionibus *r.* ecclesiæ, in mensē *r.* Item pro alio censuali &c. Quorum quidem censualium annuæ pensiones sunt hereditati dicti pupilli multum onerosæ, ipsamque hereditatem annihilarent, & absorberent, nisi ipsa censualia totaliter redimerentur. Attendentes etiam, in dicta hereditate non esse pecunias numeratas, neque nomina, sive credita, neque bona mobilia, quæ ad luitionem dictorum censualium mortuorum, aut alicujus eorum sufficere possent: idcirco gratis, & ex nostra certa scientia, pro redimendis censualibus mortuis supradictis, & aliis

oneribus dicti pupilli perfolvendis, agentes tamen hæc cum auctoritate honorabili curiæ r. per dictum pupillum; & omnes suos heredes, & successores quoscumque vendimus, & titulo venditionis concedimus vobis r. ementi in encantu publico tamquam plus danti, & offerenti, medianibus, & intervenientibus proxenets, vel curritoribus infrascriptis, & vestris, & quibus volueritis, perpetuo pretio r. librarum monetæ Barcinonensis, francarum de laudimio, impositiōne, & aliis oneribus pro nobis dictis venditoribus dicto nomine, de quibus sumus a vobis bene pacati, & contenti omni nostræ voluntati, super quibus dicto nomine renuntiamus omni exceptioni dictæ pecuniæ non numeratæ, pretii non soluti, venditionis non factæ, & doli mali, & in factum actioni: totam illam domum, quæ esse solebat dicti quondam r. firmam in præsentis loco r. in vico dicto r. prout affrontatur a parte ante &c. *Fiat ut in venditione proprietatis in capite hujus formularii apposita, mutatis mutandis, additis addendis, & addendo dicto nomine:* Sig † num nostrum r. & r. Tarracōnens. Vicariorum civitatis, & campi Tarracōnens. qui hujusmodi venditionem tamquam concernentem utilitatem dicti pupilli r. & etiam tamquam de voluntate, & consensu dictæ curiæ factam decretamus, eidemque nostram interponimus auctoritatem, pariter & decretum, in manu, & posse notarii infrascripti, die r. mensis r. anno a natiuitate Domini r. præsentibus pro testibus r. & r.

*Venditio ususfructus cuiusdam hospitii.*

**E**GO r. gratis &c. ad quinque annos, qui currere incipient die r. vendo vobis r. & vestris &c. per dictum tempus usumfructum, usum, & habitationem, ac ad emprivium, commoditatemque & utilitatem, atque jus utendi, & fruendi illarum domorum, quas ego certis, iustis, & legitimis titulis habeo, & possideo in r. loco, in capite plateæ r. &c. quæ tenentur &c. & terminantur &c. Hanc autem &c. *Fiat, ut in venditione proprietatis, &c.* Insuper convenio, & promitto vobis, quod prædicta, quæ vobis vendo, faciam vos, & vestros, & quos volueritis, per dictum tempus habere, tenere, & possidere, & ipsis domibus libere uti, & frui, ac usumfructum ipsarum intra dictum tempus percipere in sana pace contra omnes personas; quodque tenebor vobis, & vestris de evictione prædictorum &c. & pro his &c. obligo bona &c. & prædicta &c. Hæc igitur &c. Actum &c.

Testes &c.

*Si premium venditionis solutum non fuerit, facies similem obligationem.*

**N**overint un. quod ego r. gratis &c. confiteor, & recognosco vobis r. præsentis, quod licet in præcedenti instrumento contineatur, me dedisse, ac solvisse vobis, & vos a me habuisse, & recepisse r. libras Barcinonenses, quæ sunt pretium subscriptæ venditionis ususfructus, est tamen verum, & rei veritas sic se habet, quod dictam confessionem fecistis sub spe præsentis cautionis. Idcirco volens id quod rationis est servare, & renuntiando exceptioni rei ita non

esse, & sic in veritate non consistere, doli mali, & actioni in factum, ac omni alii juri his obviandi, convenio, & bona fide promitto vobis, quod dictam quantitatem dictarum r. librarum, ad rationem videlicet r. librarum pro quolibet dictorum quinque annorum, ad quos mihi venditionem supradictam fecistis, ut in dicto instrumento continetur, dabo, & solvam vobis in hunc modum, scilicet de medio in medium annum dictas r. libras, ut moris est in civitate Barcinonense sine dilatione &c. *Fiat cum obligationibus & renuntiationibus inde concordandis, & necessariis, ut in instrumento debiti, seu censualis.*

*Arrendamentum reddituum cuiusdam beneficii.*

**I**N Dei nomine. Noverint universi, quod ego r. presbyter obtinens r. beneficium &c. gratis, & ex certa scientia ad tres annos continuos, qui currere incipient die r. præsentis anni, & finientur die r. vendo, sive arrendo vobis venerabili r. presbytero, & vestris, & quibus volueritis, & per dictum tempus omnes, & singulos census, fructus, redditus, exitus, & proventus, decimas, primitias, & alias quælibet jura dicti beneficii s. r. seu eidem beneficio, & mihi ejus nomine competentes, competentia, competituros, & competitura per dictum tempus, quibusvis rationibus, juribus, titulis, atque causis, cum medietate tertiorum, sive laudimiorum eidem beneficio infra dictum tempus provenientium, altera medietate simul cum firma, domini ratione, mihi expresse reservatis. Hanc autem venditionem, sive arrendamentum facio dicto nomine vobis, & vestris, & quibus volueritis, de prædictis per dictum tempus trium annorum, sicut melius &c. *Hujusmodi clausulæ elongari, sicut in venditione proprietatis debent.* Sub pactis, & conditionibus infrascriptis extraho prædicta, quæ vendo, sive arrendo, de jure, dominio &c. eademque &c. & ex causa hujusmodi venditionis, sive arrendamenti &c. cedo jura &c. mihi, & seu dicto beneficio competentia &c. quibus juribus &c. possitis vos, & vestri, & quos volueritis dictos census, fructus, redditus, exitus, & proventus, decimas, primitias, & alia quælibet jura dicti beneficii per dictum tempus petere, exigere, recipere, & habere; apochas, & albarana, ac cessiones facere, & firmare, forcias, & districtus, & alia enantamenta contra emphyteotas dicti beneficii, & alias qualvis personas, quæ ad præstationem prædictam quomodolibet teneantur, facere, & fieri facere, & requirere, & alias uti, & experiri agendo &c. quæcumque & quemadmodum ego facere possem ante hujusmodi contractum, & jurium cessionem; & possit nunc, & etiam postea quandocumque. Ego enim facio, & constituo vos, & vestros, & quos volueritis, per dictum tempus in prædictis dominos &c. Dicens, & mandans tenore præsentis publici instrumenti vicem gerentis epistolæ in hac parte, quibusvis emphyteotis, & aliis etiam personis, quarum interlit, seu quæ ad præstationem quorumvis reddituum, & jurium mihi dicto beneficio teneantur, quatenus vobis dicto r. & vestris, vel

Eeee 2

qui-

quibus volueritis, per dictum tempus de praedictis censibus, fructibus, redditibus, exitibus, & proventus, decimis, & primitiis, & aliis iuribus quibuscumque ejusdem beneficii respondeant, & satisfaciant, pareantque, & obediant, prout mihi nomine dicti mei beneficii respondere, & satisfacere, parereque & obedire tenerentur, si praesens contractus factus non extitisset, & vos possitis ipsos ad hoc compellere, & forciare, modis scilicet, & compulsionibus, quibus ego facere possem. Pretium vero venditionis praesentis, sive arrendamenti est per totum dictum tempus trium annorum t. librarum monetæ Barcinonensis ad rationem t. librarum pro quolibet anno, quas solvatis, & solvere teneamini mihi hoc modo; videlicet in t. die proxime venturo medietatem dictarum t. librarum, & alteram medietatem in t. festo proxime sequenti, & sic deinde anno quolibet dictorum trium annorum, per similes terminos, sive solutiones. Et ideo renuntio exceptioni pretii sic non conventi, & legi, qua deceptis ultra dimidium justii pretii subvenitur, & dolo malo &c. Dono, & remitto &c. Ultra quod pretium habeatis, & teneamini deservire, seu deserviri facere dicto beneficio per idoneum presbyterum bene, & honorifice, prout est fieri assuetum, & solvere ex pecuniis vestris salarium servitii hujusmodi. Ego vero solvam, & solvere promitto omnia onera dicto beneficio incumbentia, ordinaria scilicet, & extraordinaria, tam ratione decimarum, visitationum, seu mediarum procurationum, quam subsidii, & excusati, & quibusvis aliis rationibus, sive causis, sine damno, & missione vestri, & vestrorum. Insuper convenio, & promitto vobis, quod praedicta, quae eodem nomine vobis vendo, sive arrendo, faciam vos, & vestros, & quos volueritis per dictum tempus habere, percipere, & possidere in sana pace perpetuo contra omnes personas; & tenebor vobis, & vestris de firma, & legali evictione, & legitima defensione eorundem. Et pro his &c. obligo vobis, & vestris omnia bona mea, sive si procurator est, dicti principalis mei mobilia &c. Intelligatur tamen, quod non tenear vobis, nec vestris de grandine, nebula, siccitate, nec alia aeris tempestate, nec de aliis quibusvis casibus fortuitis; quinimmo quoad hujusmodi casus praedictos maneant, & fiant ad vestri, vestrorumque periculum, riscum, & fortunam, prout dominus Deus ea dederit. Ac ego dictus t. acceptans dictum arrendamentum cum pactis, & conditionibus praedictis, convenio, & promitto vobis dicto t. quod dictum pretium t. librarum scilicet t. libras pro quolibet dictorum trium annorum dabo, & solvam vobis, aut cui volueritis, anno quolibet, per dictos terminos, sive solutiones, quodque deserviam, seu deserviri faciam per idoneum presbyterum dicto beneficio, prout melius haecenus fieri est consuetum, aliaque omnia, & singula supra dicta, quae per me attendenda sint & complenda, attendam, & complebo, tenebo, & observabo, sine omni videlicet dilatione, excusatione, & exceptione, & absque omni damno, missione, & interesse vestri, & vestrorum: quod-

que restituum vobis omnes missiones, sumptus, damna, & interesse, quos, quas, & quae vos, & vestri feceritis, & sustinueritis quovis modo pro praedictis, culpa mei, vel meorum nolentium complere praedicta. Super quibus missionibus, damnis & interesse credatur vobis, & vestris &c. Et pro his complendis &c. obligo vobis, & vestris omnia bona mobilia &c. nec non juro sponte per Dominum Deum &c. Haec igitur &c. Et volumus nos dicti contrahentes, quod de his fiant duo publica consimilia instrumenta, quorum eum utriusque nostrum tradatur per notarium infra scriptum. Actum &c. *Fiat in omnibus, & per omnia mutatis mutandis, ut in venditione proprietatis.*

Testes &c.

*Aliud instrumentum arrendamenti cum fidejussoribus.*

**E**GO t. gratis &c. ad duos annos continuos, qui currere incipiant t. die, proxime venturi, vendo, sive arrendo vobis honor. t. & vestris &c. per dictum tempus omnes, & singulos, census, fructus, redditus, exitus, & proventus, & decimas, tallas, & primitias, & alia quaelibet jura, quae ego recipio &c. Hanc autem venditionem, sive arrendamentum &c. Ad haec ego t. procurator, ut assero, & seu negotiorum gestor dicti t. de cujus *Hujusmodi clausula promissionis de rato debet apponi, cum procurator non facit fidem de mandato* ratihabitione teneri promitto sub bonorum meorum omnium obligatione, acceptans dictum arrendamentum, convenio, & promitto vobis dicto t. quod dictus principalis meus solvet vobis dictas t. libras terminis, & loco pracontentis, sine omni videlicet dilatione &c. & absque omni damno &c. & quod restituet vobis, & vestris omnes missiones, sumptus, damna, & interesse, quos, quas, & quae vos, & vestri in his successores feceritis, & sustinueritis pro praedictis, culpa dicti principalis mei, vel suorum nolentium complere praedicta, super quibus &c. credatur &c. Et ut vobis diligentius cautum sit, constituo me dictum t. fidejussorem, sponsorem, seu expromissorem, & etiam dono vobis in fidejussorem honor. t. qui cum dicto principali meo, & sine eo teneat, & teneatur de praedictis omnibus, & singulis per me nomine ipsius, vobis supra promissis, eaque attendemus, & complebimus, atque attendi, & compleri, teneri, & observari faciam, & faciet, prout plenius superius continetur. Et ego praenominatus t. acceptator, seu expromissor, ac ego dictus t. fidejussor, acceptantes praedicta, convenimus, & promittimus in solidum vobis dicto t. dicto nomine, quod de praedictis omnibus, & singulis vobis supra promissis tenebimur vobis una cum dicto principali nostro, & sine eo, eaque omnia, & singula attendemus, & complebimus, attendique, & compleri, & teneri faciemus, prout superius continetur. Et pro his &c. obligamus scilicet ego dictus t. omnia bona dicti principalis mei, & nos dicti t. & t. tanquam fidejussores praedicti in solidum omnia bona nostra propria, & cujuslibet nostrum in solidum, mobilia &c. renuntiantes beneficio novarum constitutionum &c. & spe-

cia-



cialiter nos dicti fidejussores legi dicenti, quod prius &c. & omnes omni alii juri &c. Et ut prædicta &c. juramus &c. Actum &c.

Testes &c.

*Precarium domorum, vulgo charta precaria.*

**N**overint universi, quod ego t. gratis &c. laudo, approbo, ratifico, & confirmo, si ve de novo stabilio vobis t. vestris, & quibus volueritis, perpetuo, vestri tamen consimilibus, & vestrorum, totas illas domos, quas vos habetis, & possidetis, prout vos, vestrique prædecessores a longis citra temporibus habuerunt, & possederunt in t. & tenetis per me, & sub dominio & allodio meo ad censum t. solidorum anno quolibet, die t. & terminantur &c. *Fiant terminationes &c.* Has itaque laudationem, approbationem, ratificationem, & confirmationem, si ve de novo stabilimentum facio vobis, & vestris, sicut melius &c. sub tali tamen pacto, forma, & conditione, quod prædicta melioretis, & in aliquo non deterioretis, quodque pro censum dictarum domorum vos, & vestri detis, solvatis, faciatis, & præstetis mihi, & meis censum pro prædictis dari assuetum, videlicet t. solidos anno quolibet, termino prædicto solvandos. In his autem non proclametis &c. liceat &c. salvis &c. pro hujusmodi &c. dedistis, & solvistis t. solidos Barcinonenses, super quibus renuntio &c. ceterum volo, & consentio, ac concedo vobis, & vestris, quod præsens instrumentum sit, & cedat vobis loco chartæ precariæ, & primi, antiquique tituli, si ve stabilimenti prædicti; quoniam prout vos asseruistis, & etiam jurastis ad dominum Deum, & ejus sancta quattuor Evangelia manibus vestris corporaliter tacta, non habetis, nec habere potuistis stabilimentum, nec chartam precariam prædictorum, nec aliqua alia instrumenta nova, seu vetera facientia pro præmissis, nec scitis ubi sunt, licet diligentissime perquisiveritis, invenire tamen nullatenus potuistis, & quod nihil dolo malo, si ve fraude fecistis, quominus hæc haberetis, sic quod revera deperdita sunt, & eorum exhibitio est vobis impossibilis, retineo tamen mihi, atque expresse salvo, quod si de cetero apparuerit per aliqua instrumenta, seu alias vos facere, & præstare majorem censum, & alia jura ultra prædicta, pro præmissis ipsum, censum, & jura faciatis, & præstetis mihi, & meis, præsentis instrumento in aliquo non obstante. Denuo volo, quod de his fiant duo, & quotquot fuerint necessaria publica instrumenta per notarium infra scriptum, ad habendum memoriam in futurum. Actum &c.

Testes &c.

*Possessio auctoritate propria adeptæ rei venditæ.*

**N**overint universi, quod cum t. vendiderit t. quandam petiam terræ in t. loco, & ipsam rem constituerit se ejus nomine possidere, donec ipsius rei possessionem acceperit corporaliter, dederitque licentiam, ut ex nunc sua propria auctoritate ipsam acciperet, ut patet instrumento recepto per notarium infra scriptum die t. Idecirco die t. in præsentia mei dicti, & subscripti notarii, & in præsentia etiam r. r. testium ad hæc

vocatorum specialiter, & assumptorum, *Si possessio tradatur per eundem venditorem, debes dicere*, quod cum t. vendiderit &c. *ut in formula annotata, usque*, in præsentia r. r. testium &c. idem t. venditor tradidit possessionem dicto t. emptori de dicta petia terræ, in hunc modum, quod constitutis ambobus, venditore scilicet, & emptore ante dictam petiam terræ, dictus t. venditor accepit ipsum t. emptorem per manum dexteram, & ipsum immisit intus dictam petiam terræ, qui quidem t. accepit de terra dictæ petiæ terræ ipsam asserendo, & de frondibus cujusdam arboris colligendo in signum possessionis, asserendo, & protestando &c. *idem t. tam auctoritate propria, quam ex licentia, & potestate a dicto venditore sibi tradita, ingressus est in possessionem corporalem ipsius rei, ipsam terram corporaliter intrando, & de terra, & frondibus ejusdem accipiendo, asserendo, & protestando, se ex nunc non tantum corpore, sed etiam animo dictam petiam terræ possidere.* De quibus omnibus, & singulis supra dictis dictus t. petiit, & requisivit sibi, & suis fieri, & tradi unum, & plura, publicum, & publica, instrumentum, & instrumenta, quæ fuerunt acta &c.

*Possessio beneficiorum.*

**I**n Dei nomine. Noverint universi, quod anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo &c. die vero t. mensis t. computata, præsentis, & ad hæc vocato me t. notario publico infra scripto, & præsentibus etiam t. & t. pro testibus ad præmissa vocatis specialiter, & assumptis, venerabilis t. clericus Tarraconensis diocesis noviter auctoritate ordinaria, si ve apostolica provivus de Nora, quod se provivus est ecclesiæ parochialis, si ve perpetuæ Vicariæ, accipiat possessionem totius ecclesiæ, claudendo, & aperiendo ecclesiam, & altare majus tangendo, & pulsando campanas, & aspergendo aquam benedictam &c. beneficio ecclesiastico, uno sub invocatione sanctæ t. in ecclesia t. alio &c. instituto, & fundato cum collationis, provisionis, & investituræ charta, si ve bulla eidem facta de dicto beneficio vel beneficiis, per admodum R. dominum t. V. I. D. in spiritualibus, & temporalibus pro illustrissimo & reverendissimo in Christo patre, & domino D. t. miseratione Divina S. Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopo Vicarium generalem, & Officiale, sigillo Vicariatus ejusdem Reverendissimi D. Archiepiscopi impendend. munita, manuque dicti R. D. Vicarii generalis, & Officialis signata, & aliis debitis solemnitatibus expedita, cujus data fuit Tarracone, die t. mensis t. Qui existens personaliter ante præsentiam vener. t. presbyteri in introitu ecclesiæ de t. personaliter existentis, & reperti, & manibus suis dictam collationis chartam, si ve bullam ferens, & habens ipsam collationis chartam, seu bullam eidem t. obtulit, & præsentavit, & præsentare se dixit, cujus vigore ipsam in subexecutorem elegit, assumpsit, & nominavit; eundemque monuit, requisivit, quatenus sibi possessionem corporalem, realem, & actualem, seu quasi dicti be-

nefi-

beneficii, & jurium ejusdem traderet realiter, & cum effectu, prout in dicta collationis charta, seu bulla sibi traditur in mandatis. Qui quidem venerabilis r. tamquam obedientiae filius acceptans onus dictae subexecutionis, obtulit se praesto, & paratum dictae collationis charta, seu bullae obtemperare, & dictam possessionem tradere, prout sibi traditur in mandatis, & accepta aqua benedicta, & facta prius oratione, ad actum veniens dictus vener. r. subexecutor praefatus accepit per manum dexteram dictum r. clericum praefatum & immisit ipsum in capellam ubi beneficium hujusmodi fundatum est, & mox in aliam capellam vel altare, in quo, vel qua aliud beneficium est fundatum, & accedentes ad altare, fecit eidem cooperire, & discooperire dictum altare, sive altaria, tangendo mappas, candelabra, & alia ornamenta, quae in dicto altari, vel dictis altaribus posita erant, nec non fecit eidem aperire Missale in dicto altari, vel altaribus positum, & legere ex eodem quandam orationem, & postea pulsare campanellam dictae ecclesiae, & denique tradidit claves dictae capellae, sive capellarum, *si sint*. Quae omnia, & singula facta fuerunt in signum verae, realis, corporalis, & actualis possessionis dicti beneficii, seu beneficiorum, per dictum r. subexecutorem tradita, & per dictum r. modernum beneficiatum ipsius quiete, & pacifice accepta. Et dictus vener. r. modernus beneficiatus praedictus protestatus fuit, quod non modo corpore, verum etiam animo praedicta omnia, & singula intendebat possidere. De quibus omnibus, & singulis supra dictis sic factis, gestis, & secutis tam dictus vener. r. subexecutor praefatus, quam dictus vener. r. modernus beneficiatus petierunt, & requisiverunt, unum, vel plura, publicum, vel publica sibi, & aliis, quorum interest, & intererit, fieri, confici, dari, atque tradi consimilia instrumentum, & instrumenta per me dictum, & infra scriptum notarium. Quae fuerunt acta in loco r. sub anno, die, mense, & locis praedictis, praesente me dicto, & infra scripto notario, & praesentibus etiam dictis testibus ad praemissa vocatis, rogatis specialiter, & assumptis, ut superius continetur.

*Permutatio duarum petiarum terrae.*

**I**N Dei nomine. Noverint universi, quod ego r. gratis &c. per me &c. propterea quod vos r. mihi permutatis, & ex causa permutationis conceditis, permuto, & ex causa permutationis concedo vobis dictae r. & vestris, & quibus volueritis perpetuo totam illam petiam terrae r. journalium, vel parum alicujus pluris, quae est de pertinentiis manfi r. quam ego meis justis, & legitimis titulis, sive causis habeo, & possideo in r. parochia. Et tenetur &c. & terminatur &c. Hanc autem permutationem, & ex causa permutationis hujusmodi concessionem facio ego dictus r. vobis dicto r. & vestris, & quibus volueritis perpetuo de praedictis, sicut melius &c. Et extraho praedicta, quae vobis permuto, de jure &c. eademque &c. Promittens vobis tradere, aut cui volueritis loco vestri possessionem &c. & in ea &c. vel vos, aut vestri, si volueritis, fir-

mato tamen prius hujusmodi instrumento domini ratione, possitis ipsam possessionem &c. quae quidem possessionis apprehensio tantum valeat &c. ego enim interim &c. sciens illum de jure possidere &c. *Fiant clausulae ceteratae, & abbreviatae, prout in instrumento in solutum dationis, vel venditionis censualis mortui creati sunt elongatae.* Constituo me praedicta, quae vobis permuto &c. ac volo, quod vigore horum verborum &c. Praeterea ex causa hujusmodi permutationis &c. do, cedo &c. omnia jura &c. quibus juribus &c. ego enim ponendo, & statuendo vos, & vestros in locum, & jus meum facio, & constituo &c. salvis tamen semper &c. Et pro his, quae vobis permuto, & ex causa permutationis concedo, vos permutatis mihi, & ex causa permutationis conceditis petiam terrae subscriptam. Et ideo renuntiando exceptioni rei ita non esse, & sic in veritate non consistere, & legi, qua deceptis ultra dimidium justis pretii, sive aestimationis subvenitur, ac doli mali &c. dono scienter si quid praedicta quae vobis permuto, & ex causa permutationis concedo, plus modo valent, aut amodo his, quae vos mihi inferius permutatis, & ex causa permutationis conceditis. Insuper convenio, quod praedicta faciam vos, & vestros habere &c. quodque tenebor &c. & de restitutione, ac emendatione omnium missionum, sumptuum, damnorum, & interesse, quos, quas, & quae vos, vel vestros pro praedictis, vel aliquo praedictorum in judicio, vel extra judicium facere, & sustinere oportuerit in ducendis, tractandis, vel examinandis litibus, sive causis, quae ratione praedictorum vobis, vel vestris fierent, vel moverentur per qualvis personas, sive obtineatis in causa, vel causis, sive etiam succumbatis; remittens vobis ex pacto necessitatem denunciandi, ac etiam appellandi. Super quibus quidem missionibus credatur &c. & pro his &c. obligo vobis specialiter, & expresse inferius per vos mihi permutata, ac ex causa permutationis concessa; generaliter autem omnia, & singula bona mea mobilia &c. Et ut praedicta &c. juro in animam &c. praedicta omnia, & singula attendere &c. & in nullo contra facere, vel venire jure aliquo, causa &c. E diverso autem ego r. propterea quod vos r. mihi superius permutatis, & ex causa permutationis conceditis gratis &c. per me, & omnes heredes &c. permuto, & ex causa permutationis concedo vobis dicto r. & vestris, ac quibus volueritis perpetuo totam illam petiam terrae, cum introitibus &c. quae est de pertinentiis manfi r. quam ego certis, justis, ac legitimis titulis, sive causis habeo, & possideo, &c. & tenetur &c. & terminatur, &c. Hanc autem permutationem &c. *Fiat ut supra, usque.* Pro his autem quae ego dictus r. permuto vobis dicto r. permutatis vos, ac ex causa permutationis mihi conceditis petiam terrae supra primo loco descriptam, sive designatam: & ideo renuntio exceptioni rei ita non esse &c. dono scienter, & remitto &c. in super convenio &c. quodque tenebor &c. Et pro his &c. obligo vobis, & vestris specialiter, & expresse, supra per

VOS

vos mihi permutata, & ex causa permutationis concessa. Generaliter vero omnia bona &c. Et ut prædicta &c. Hæc igitur &c. facimus, paciscimur, convenimus, & promittimus nos dicti contrahentes, unus videlicet nostrum alteri, ac nobis invicem, & vicissim, & nostris, nec non & notario infrascripto, ut publicæ personæ &c. Novissime volumus nos dicti contrahentes, quod de hujusmodi originali nota duo publica fiant confimilia instrumenta, quorum unum utriusque nostrum tradatur per notarium infrascriptum. Actum &c.

*Institutio Missarum.*

**I**N Dei nomine. Noverint universi, quod ego t. alter ex manumissoribus, & executoribus testamenti, seu ultimæ voluntatis t. filia discreti t. civis, vel incolæ t. loci, & dominæ t. ejus uxoris defunctorum præsentis loci t. prout de mea manumissoria, & executione constat ultimo testamento dicti t. quod inde condidit, & firmavit penes discretum t. notarium publicum, die t. mensis t. anno t. dicto nomine, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, ejusque intemeratæ Virginis Mariæ, totiusque curiæ celestis, in remedium animæ dicti t. & pro exequendo voluntatem ejusdem, in ejus ultimo testamento dispositam, & ordinatam, gratis, & ex certa scientia instituo, & ordino, ac fundo t. Missas singulis annis celebrandas in ecclesia t. per presbyteros dictæ ecclesiæ *Observetur in his voluntas instituentis*, ad libitum venerabilium procuratorum, venerabilis & devotæ confratriæ t. presbyterorum dictæ ecclesiæ, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint. Nec non instituo, & fundo unum perpetuum anniversarium anno quolibet celebrandum t. die mensis t. in ecclesia, seu monasterio t. per venerabiles presbyteros, vel fratres, & religiosos dicti monasterii: pro charitate cujus anniversarii volo, & mando, quod vos infrascripti administratores teneamini dare singulis annis dictæ ecclesiæ, vel monasterio sancti t. t. solidos: administrationem vero dictarum Missarum, & anniversarii dimitto dicto nomine devotæ confratriæ presbyterorum t. loci, & seu venerabilibus procuratoribus ejusdem pro tempore existentibus, pro qua quidem administratione dicta confratria, & seu ejus procuratores ex redditibus infra assignandis habeant t. solidos annis singulis. Ut autem hujusmodi institutio dictarum Missarum, & anniversarii perpetua sit, & duret, dono, & consigno vobis t. t. & t. procuratoribus dictæ venerabilis confratriæ presbyterorum ecclesiæ t. & vestris in dicta confratria successoribus, & quibus dicto nomine volueritis, perpetuo tam in pretio, quam in pensionibus, & rata ab inde debendis, totum illud censuale mortuum pretii, sive proprietatis t. librarum, & pensionis annuæ totidem solidorum, quos anno quolibet in festo, sive die t. discretus t. & t. ejus uxor, ut principales, & alii ut fidejussores, faciebant, & præstabant dicto t. & nunc dictæ manumissoriæ faciunt, & præstant, facereque, & præstare tenentur cum instrumento publico pergameneo acto in t. loco, die t. mensis t. anno t. clausæque sive subsignato per discretum t. in quo

quidem censuales instrumento intervenit instrumentum gratiæ redimendi, quod vos, & vestri fequi habeatis, & teneamini. Item dono, & trado vobis dictis dominis procuratoribus dictæ vener. confratriæ in pecunia numerata t. libras Barcinonenses, quas ponere, & smerciare teneamini ad censuale in loco tuto, & securo, quæ pecuniæ remanserunt ex residuis pecuniis processis ex dicta manumissoria. Has itaque institutionem, fundationem, dationem, & consignationem facio ego dictus manumissor dictæ confratriæ, & vobis dictis dominis procuratoribus, & vestris in his successoribus, & quibus volueritis perpetuo de prædictis, tradens cum his vobis dictum censuales instrumentum, & testamentum dicti quondam t. in publica forma, & in pergameneo exarata, clausa, & tabellionata pro tuitione, & securitate præmissorum, sicut melius dici, scribi, intelligi, & excogitari potest, ad vestrum, vestrorumque salvamentum, sanum, & bonum etiam intellectum. Et extraho prædicta, quæ vobis dicto nomine dono, & consigno, de jure, dominio, proprietate, & posse mei dicto nomine, & seu dictæ manumissoriæ, eademque omnia, & singula in vestrum, vestrorumque jus, dominium, proprietatem, & posse mitto, transfero, & transporto irrevocabiliter, pleno jure ad habendum, tenendum, omnique tempore perpetuo pacifice possidendum sine contradictione, & impedimento mei, & meorum, & alterius cujuscunque curiæ, & personæ. Promittens dicto nomine vobis, tradere vobis, aut cui seu quibus loco vestri volueritis, possessionem corporalem, seu quasi, prædictorum, quæ vobis dono, & consigno, & in ea vos, & vestros dicto nomine, & dictam confratriam, & quos volueritis facere existere perpetuo potiores præ ceteris quibuscunque, ut vos aut vestri, si volueritis, possitis dictam possessionem corporalem, seu quasi, quandocunque volueritis libere apprehendere, & apprehensam penes vos, & vestros licite retinere: quæ quidem possessio cum per vos apprehensa fuerit, tantum valeat, tantamque obtineat roboris firmitatem, quantum valeret, & obtineret, ac si per me dicto nomine vobis tradita foret realiter, corporaliter, & de facto. Ego enim interim, id est, donec dictam possessionem vobis, & vestris tradidero, vel vos, aut vestri eam apprehenderitis, ut est dictum, fateor, & constituo, me dicto nomine prædicta, quæ vobis dono, & consigno pro vobis, & vestris in dicta confratria successoribus nomine proprio tenere, & possidere, seu quasi, sciens illum de jure possidere, cujus nomine possidetur, volens, quod vigore horum verborum, & ex juris dispositione dicta possessio pro tradita, & in vos translata penitus habeatur. Præterea ex causa hujusmodi donationis, oblationis, & consignationis, & alias dono, cedo, transfero, atque mando vobis, & vestris in dicta confratria successoribus omnia jura, omnesque actiones reales, & personales, mixtas, utiles, & directas, ordinarias, & extraordinarias, & alias etiam quascunque mihi, seu dictæ manumissoriæ competentia, & competentes, competereque debentia,

tia, & debentes in prædictis, quæ vobis dono, offero, & consigno ad opus dictæ causæ piæ, seu Missarum, & anniversarii, & contra & adversus prædictas, & alias quascumque personas, bona, & res ratione, & occasione præmissorum. Quibus juribus, & actionibus supradictis possitis vos & vestri in dicta confratria successores prorata, & pensiones ex dicto censuali debendas, cum pœnis, salariis, missionibus, & expensis, ac aliis ejusdem censuali accessoriis anno quolibet, dicto termino, & in casu lutionis ejus pretium, seu proprietatem a prædictis obligatis, & ab aliis quibuscumque personis, quæ ad hæc teneantur, seu tenebuntur in posterum, quavis causa petere, exigere, recipere, & habere, & inde apocham, & apochas, albarana, fines, definitiones, & quovis titulo, sive causa cessiones facere, & firmare, retroclama, sive secundas querelas exponere & earum executiones postulare, & fieri requirere, & instare, & alias uti agere, & experiri, agendo scilicet, & respondendo, defendendo, excipiendo, proponendo, replicando, & omnia alia, & singula faciendo, & libere exercendo, in judicio, & extra judicium, quæcumque, & quemadmodum ego dicto nomine facere poteram ante præsentem donationem, oblationem, & consignationem, juriumque & actionum cessionem, & postem eis non factis, & etiam postea quæcumque. Ego enim dicto nomine facio, & constituo vos, & vestros in dicta confratria successores in his dominos, & procuratores, ut in rem vestram propriam, ad faciendum inde de prædictis vestra libitum voluntatis. Dicens nihilominus, intimans, & mandans tenore præsentis publici instrumenti, vicem epistolæ quo ad hæc in se gerentis, dictis r. r. & aliis in dicto censuali obligatis, quibus cum hoc eodem prædicta notifico, quatenus ad solam præsentis instrumenti exhibitionem vobis, & vestris in dicta confratria successoribus respondeant, obediant, ac satisfaciant de præmissis, sicut dictæ manumissoria ante dictam consignationem, juriumque & actionum cessionem solvere, respondere, obedire, ac satisfacere tenebantur, alia intimatione, seu mandato a me, vel meis dicto nomine minime expectatis. Insuper convenio, & bona fide promitto vobis dicto nomine, quod prædictum censuale, quod supra consigno, faciam dicto nomine vos, & vestros in dicta confratria successores habere, tenere, percipere, & possidere in fina pace perpetuo contra omnes personas, quodque tenebor vobis, & vestris dicto nomine semper de firma, & legali evictione, & legitima defensione prædictorum, & de restitutione omnium missionum, & expensarum, damnorum, & interesse litis, & extra, omni exceptione remota. Et pro prædictis omnibus, & singulis attendendis, complendis, tenendis, & inviolabiliter observandis, obligo vobis, & vestris in dicta confratria successoribus, & quibus dicto nomine volueritis, omnia, & singula bona dictæ manumissoria mobilia, & immobilia, ubique habita, & habenda, privilegiata, & non privilegiata, renunciatis super his omni, & cuicumque juri tam canonico, quam civili his obvianti. Ad

hæc nos dicti r. r. r. & r. procuratores vener. & devotæ confratriæ r. presbyterorum ecclesiæ r. dicto nomine laudantes prædicta, dictaque institutionem, fundationem, & consignationem desuper per vos r. dicto nomine factas, gratis acceptantes, administrationemque prædictam in nos assumentes, convenimus, & promittimus vobis, quod prædicta omnia, & singula ad unguem observabimus, attendemus, & complebimus, observari, attendi, ac compleri faciemus, dictasque Missas in dicta ecclesia r. & anniversarium in dicto loco singulis annis celebrari faciemus, prout solitum est. Confitentes, quod habuimus, & recepimus a vobis dictum censuale instrumentum in sua propria forma exaratum, & r. libras Barcinonensis monetæ in pecunia numerata omni nostræ voluntati. Et ideo renuntiando exceptioni prædicti censuali, & pecuniæ non habitæ, & non receptæ, ac non solutæ modo prædicto, reique ita non esse, & sic in veritate non consistere, & doli mali, & in factum actioni, in testimonium præmissorum præsentem vobis facimus apocham de soluto, atque recepto. Et pro his omnibus, & singulis complendis, tenendis, & inviolabiliter observandis obligamus vobis, & vestris omnia, & singula bona dictæ confratriæ, mobilia, & immobilia, ubique habita, & habenda privilegiata, vel non privilegiata. Renunciantes quantum ad hæc omni, & cuicumque juri canonico, & civili his obvianti. Actum est hoc &c. Sig †††† na r. r. r. & r. Præsentibus pro testibus r. & r.

*Apocha, & definitio facta, & firmata per vicariam, de dote, & omnibus melioramentis, & augmentis, ac etiam de legitima cujusdam filii sui.*

**SIT** omnibus notum, quod ego r. uxor in secundis nuptiis r. villæ r. in primis vero nuptiis r. loci r. gratis, & ex mea certa scientia, agens tamen hæc de, & cum voluntate dicti r. viri mei præsentis, & inferius consentientis per me, & meos heredes, & successores, quoscumque confiteor, & in veritate recognosco vobis discreto r. primi viri mei propinquo, vel heredi seu tenenti vestris justis, & legitimis titulis hereditatem, & omnia bona, quæ fuerunt dicti quondam viri mei, quod dedistis, & solvistis mihi, egoque a vobis confiteor habuisse, & recepisse bene, & plenarie modo sequenti, & infra scripto r. libras Barcinonenses videlicet de præfenti in præsentia notariorum & testium infra scriptorum r. libras, & restantes habui, & recepi, numerando ad omnes meas voluntates, quæ sunt ratione avinentiæ, concordiæ, & transactionis verbo, & in scriptis, inter me, de consensu viri mei, & vos factæ, initæ, tractatæ, & concordatæ ratione omnium, & singulorum jurium mihi pertinentium, & spectantium, pertinereque & spectare debentium in hereditate, & bonis dicti quondam r. primi viri mei, tam ratione dotis per me dicto quondam viro meo constitutæ, & apportatæ, quam etiam omnium, & singulorum melioramentorum, & aliarum acquisitionum factarum per dictum quondam virum me-

me-

meum, durante nostro matrimonio: nec non ratione legitimæ r. quondam infantis filii communis dicto r. viro meo, & mihi, defuncti, & dicto ejus patri superstiti, sive superviventi, ac aliorum jurium in bonis, & hereditate præfati quondam viri mei, & dicti filii mei pertinentium, & spectantium: de quibus quidem juribus ad plenum certiorata, & certificata fui. Et ideo renuntiando omni exceptioni de dolo malo, & actioni in factum, & omni alii juri his obvianti, præsentem facio vobis apocham de soluto, atque recepto, & nihilominus reputans me fore plenarie solutam, & integre satisfactam de omnibus & quibuscumque juribus mihi in dictis bonis vestris, quæ fuerunt dicti quondam r. viri mei, pertinentibus, & spectantibus pertinere, & spectare debentibus dono, absolvo, definio, remitto, & relaxo vobis dicto discreto r. præfato, & vestris, & quibus volueritis, totam partem, jusque ac omnes, & singulas actiones, quæstiones, petitiones, & demandas, quas, & quod ego habeo, & habere possum, & debeo nunc, vel in futurum in, & super bonis vestris, quæ fuerunt dicti quondam r. primi viri mei, tam ratione dictæ dotis, & augmenti, ac dictorum melioramentorum, ac legitimæ præfatæ, quam aliis quibusvis rationibus, juribus, titulis, sive causis quocumque nomine censeantur, conveniens, & promittens vobis, quod ego, nec mei heredes, vel successores nunquam conveniemus, seu in causam trahemus, seu trahi etiam faciemus vos, vel vestros, aut bona vestra prædictis, aut ratione prædictorum, nec ratione aliquorum jurium in bonis vestris mihi pertinentium: nec contra vos, vel vestros faciemus, movebimus, seu intentabimus aliquam actionem, quæstionem, petitionem, vel demandam, litem, vel controversiam de jure, vel de facto, aut alias, sic quod pro prædictis, aut ratione eorum vos, vel vestri non possitis per me, vel meos impeti, requiri, vel demandari, molestari, aut in judicium, vel causam trahi, sive in aliquo conveniri. Præterea ex causa hujusmodi donationis, absolutionis, definitionis, remissionis, & renuntiationis, ac relaxationis, ac alias do, cedo, transfero, & mando vobis, & vestris omnia jura, omnesque actiones reales, & personales, mixtas, utiles, & directas, ordinarias, & extraordinarias, & alias quascunque mihi competentia, & competentes, competereque debentia, & debentes, nunc, vel in futurum ratione præmissorum dotis, augmenti, ac jurium melioramentorum, & legitimæ, ac aliis quibusvis rationibus, titulis, sive causis: quibus juribus, & actionibus supradictis possitis vos, & vestri uti, & experiri, agendo scilicet, & respondendo, defendendo, & tuendo, excipiendo, proponendo, & replicando, & omnia alia, & singula faciendo in judicio, & extra judicium, quæcumque & quemadmodum ego facere poteram ante præsentem donationem, absolutionem, definitionem, & remissionem, juriumque & actionum cessionem; & possem nunc, & etiam postea quandocumque, ego enim facio, & constituo vos, & vestros in his dominos, & procuratores, ut in rem vestram propriam, ad faciendum

Tam. III.

inde vestræ libitum voluntatis. Dicens, intimans, & mandans tenore præsentis publici instrumenti vicem epistolæ in hac parte gerentis universis, & singulis, quibus spectet, quatenus in prædictis habeant, & teneant vos, & vestros pro dominis prædictorum, vobisque respondeant, pareant, & obediant, prout mihi parere, & obedire tenebantur ante præsentem donationem, absolutionem, definitionem, & remissionem, juriumque & actionum cessionem. Insuper convenio, & promitto, ac sponte juro in animam meam per dominum Deum, & ejus sancta quatuor Evangelia manibus meis corporaliter tacta, prædicta omnia, & singula attendere, & complere, tenere, & observare, & in aliquo non contrahere, vel venire jure aliquo, causa, vel etiam ratione, sub bonorum meorum mobilium, & immobilium ubique sint habitorum, & habendorum omnium obligatione. Ad hæc ego r. vir in secundis nuptiis dictæ r. prædictis, per dictam uxorem meam, tamquam de meis voluntate, & consensu factis, & firmatis consentio, meumque assensum pariter, & consensum præsto in manu, & posse notarii infrascripti. Actum &c. Sig. † num. r. prædictæ, quæ hæc laudo, concedo, firmo, & juro. Sig. † num. r. viri dictæ r. qui hæc laudo, concedo, & firmo.

*Instrumentum debiti.*

**M**agnificus r. gratis &c. confessus fuit, se debere honorabili r. r. libras monetæ Barcinonensis ratione fructuum, reddituum, & proventuum: *Si talis quantitas proveniet ex mutuo, dices:* „ Confiteor debere r. libras, quas „ mihi gratiose mutuastis, illasque habui, & re- „ cepi in pecunia numerata: „ *vel pone causam dicti debiti:* anno præsentis, videlicet a die r. mensis r. proxime præteriti, usque ad ultimam r. primo venientis collectorum, & colligendorum in r. quos dictus dominus r. eidem r. vendidit pro dicta quantitate, quas r. libras eidem solvere promisit in duabus æqualibus solutionibus videlicet medietatem hinc ad r. dies a die præsentis in antea computandos, & restante medietatem ad complementum dictæ quantitatis hinc ad ultimam mensis r. proxime venientis sine dilatione &c. Et si forte &c. decem solidos de salario &c. ultra quos &c. expensas &c. de quibus credatur &c. submittens se foro curiæ ecclesiasticæ Tarraconensis & aliis &c. variare &c. sub pœna tertii &c. quam pœnam &c. renunt. &c. Et pro majori securitate præmissorum dedit in fidejussores, qui secum, & sine &c. honorabilem r. & r. qui acceptarunt &c. Et pro his complendis &c. tam principalis, quam fidejussores obligarunt omnia bona, & cujuslibet eorum in solidum, mobilia &c. & quisque &c. ita quod &c. & super his renuntiat beneficio novarum constitutionum &c. & epistolæ &c. & specialiter dicti fidejussores renuntiant legi, sive juri dicenti, quod prius conveniatur principalis, quam fidejussor, & omnes omni, & cuicumque juri &c. firmarunt, & jurarunt, &c. *Si creditor voluerit, quod hujusmodi instrumentum elongetur in nota, & absque &c. tunc hujusmodi clausula abbreviata elongari debent*

F f f f

juxta

*juxta formam instrumenti censualis, muratis mutandis. Actum &c.*

Testes &c.

*Donatio inter vivos.*

**N**overint universi, quod ego r. gratis, & ex mea certa scientia, instantibus, & exigentibus pluribus gratis, & acceptis servitiis per vos r. fratrem, *vel servitorem* meum his praesentem, mihi multipliciter impensis, ad quorum remunerationem me censeo obligatum, idcirco causa praemissorum inductus, & alias de mera liberalitate, & propter nexum sanguinis fraternalis, quo sumus conjuncti, dono, & donatione pura, perfecta, simplici, & irrevocabili inter vivos concedo vobis dicto r. fratri meo, *vel servitori*, tamquam bene merito, & vestris &c. totum illud censuale mortuum &c. *Nota, quod si fiat donatio omnium bonorum, debet fieri cum retentione alicujus pecuniae quantitatis, vel alicujus rei, & ponitur talis retentio post clausulam,* „ Sicut melius &c. *hoc modo* „ Sub tali tamen pacto, & conditione, quod retineo mihi r. libras ad faciendum meas liberas voluntates &c. „ quod ego certis, justis, & legitimis titulis habeo, & percipio annis singulis, certo termino, super universitate civitatis r. & singularibus ejusdem. Item universa, & singula alia censualia, bona, res & jura, & bona mea mobilia, & immobilia, ad me pertinentia, & spectantia, titulo emptionum per me factarum, legati, seu legatorum, institutionum, substitutionum, gravaminum, vinculorum, & fidei commissorum mihi factorum, & in personam meam & tam in testamento dicti patris mei, quam alio quovis modo, titulo, jure, causa, vel etiam ratione. Hanc autem donationem &c. *Fiat ut in aliis usque, cedo jura &c.* Quibus juribus &c. possitis vos, & vestri, & quos volueritis, pensiones supradictas dictorum censualium anno quolibet suis terminis, & in casu luitionis pretia eorundem, & alia bona mea petere, recipere, & habere, apochas, fines, & definitiones facere, & firmare, retroclama facere, & exponere, de hostagiis tenendis requirere, executiones quascumque fieri facere, & alias uti, & experiri, agendo &c. Ego enim facio, & constituo &c. dicens & mandans tenore praesentis publici instrumenti vicem gerentis epistolae in hac parte, universitatibus supradictis, & utrique earum, & aliis etiam quibuscumque universitatibus, & singularibus personis earundem, & cujuslibet earum, & aliis etiam quibuscumque qui, & quae ad praestationem censualium, & quorumvis reddituum, & bonorum quorumcumque mihi teneantur, quatenus in pretiis, & proprietatibus, ac pensionibus, & fructibus eorundem vos, & vestros habeant, & teneant pro dominis, vobisque respondeant, pareant, & obediant de eisdem in omnibus, & per omnia, sicut antea mihi respondere, parere, & obedire tenebantur, alio mandato inde minime expectato. Insuper convenio, & promitto vobis, quod hujusmodi donationem tenebo firmiter, & observabo, & contra eam non faciam, vel veniam ratione ingratitude, ino-

piæ, vel offensæ, nec alia quavis causa, seu ratione. Renuntians quantum ad hæc legi-dicenti, donationem propter ingratitude, inopiam, vel offensam posse revocari, & alii cuicumque juri his obvianti: *Adverte, quod clausula insinuationis non debet apponi, nisi donatio excedat summam quingentorum aureorum.* Præterea, quia donatio hujusmodi excedit summam quingentorum aureorum, & ne in eo, quo dictam summam excedit, revocari valeat, idcirco tenore praesentis publici instrumenti ipsam, & in ea contenta insinuo, & insinuari volo honor. regenti vicariam r. & in actis curiae ejusdem, intra cujus districtum existo, vel alteri cuicumque judici competenti, supplicans eundem, quatenus eidem suam interponere dignetur auctoritatem, & decretum, adeo ut dicta donatio illam obtineat roboris firmitatem, quam obtinet, & obtinere debet donatio facta coram Principe, vel alio legitimo magistratu. Et quia alius ad praesens negotiis occupatus, nequeo ad hujusmodi insinuationem faciendam adesse, ex certa scientia constituo &c. procuratorem meum certum &c. honor. r. ad hujusmodi insinuationem faciendam; cui super ipsa insinuatione facienda committo plenarie vices meas promittens me firmum perpetuo habiturum quidquid per ipsum in, & super his factum fuerit, & nullo tempore revocare, sub bonorum meorum omnium hypotheca. Et ut praedicta &c. juro &c. Hæc igitur &c. Et ego dictus r. donatarius praedictam donationem per vos dictum r. mihi factam accepto cum multiplici gratiarum actione. Actum est &c.

Testes &c.

*Instrumentum indemnitate.*

**N**OS r. & r. ejus uxor, oppidi r. Quia vos r. precibus, & amore nostris fecistis subscriptionem, sive fidejussorio nomine vos obligastis in quodam chirographo, sive albarano factis magnifico r. de solvendo eidem r. libras monetæ Barcinonensis, quæ sunt pretium r. per nos a dicto r. empt. prout in dicto chirographo latius continetur. Et quia non decet ex tanto beneficio per vos nobis collato, de quo praemium meremini, damnum aliquod pati posse, gratis &c. per nos &c. convenimus, & promittimus vobis, quod si forsan ex praedicta obligatione, & subscriptione pati aliquod damnum contigerit, servabimus vos, & bona vestra, indemnem, & indemniam perpetuo, penitus, & sine damno, sine aliqua videlicet dilatione &c. cum salario procuratoris, & poena de non firmando jus &c. *Hujusmodi clausula elongentur ut in instrumento censualis.* Et ut tutius cautum sit, donamus vobis in fidejussores magnificum r. & r. qui mecum &c. Ad hæc fiat acceptatio dictorum fidejussorum obligando proinde omnia bona sua mobilia. Renunt. beneficio novarum &c. epistolæ &c. nec non foro proprio &c. Et ego dicta mulier renuntio beneficio Vellejani &c. Et dicti fidejussores legi, quod prius &c. Submittens foro R. domini Officialis Tarraconensis, vel alterius cum facultate variandi &c. In &c. Actum &c.

Testes &c.

Re.

*Remissio injuriarum, absolutio, & definitio.*

**I**N Dei nomine, amen. Noverint universi, quod ego T. ad preces nonnullarum notabilium personarum zelum Dei præ oculis habentium, etiam postpositis omni odio, rancore, & mala voluntate, & ob Christi reverentiam, ac in peccatorum meorum remissionem. Volens propter ea verbis Christi parere jubentis nos dicere in oratione, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: gratis, & ex certa scientia, non dolo inductus, nec errore lapsus, sed bono animo, & spontanea voluntate, amore Domini nostri Jesu Christi, per me &c. perdono, absolvo, definio, & remitto, ac perpetuo relaxo vobis T. omnem odium, rancorem, & malam voluntatem, quem, & quam conceperam, & habueram contra, & adversus vos, & vestros, & omnes, & singulas personam, seu personas delatas, seu inculpatas de morte, seu homicidio: aut *vulnere*: perpetrato nuper in villa de T. in persona de T. filii, vel germani mei: & qui in morte, seu homicidio: aut *vulnere*: prædicto interfuistis ratione homicidii: vel *vulneris*: prædicti, sive in eodem fueritis culpabiles, sive non: & omnes etiam, & quascumque petitiones, & demandas, persecutiones, & pœnas civiles, & criminales, & alias quascumque quam, seu quas ego nunc, vel etiam in futurum contra vos in personis, & bonis facere, intentare, proponere, seu movere possem in judicio, vel extra judicium, aut alias quovis modo, ratione, & occasione eorundem. Ita quod amodo pro præmissis, seu ratione, & occasione prædictorum conveniri, demandari, inquietari, capi, detineri, vel aggravari non possitis per me, vel meos, aut per aliam quamcumque personam civiliter, vel criminaliter, aut alias, in judicio, vel extra judicium, ullo modo. Renuntians cum præsentibus cuicumque accusationi, denuntiationi, & instantiæ per me huc usque inde factis, & aliis etiam, quæ in futurum civiliter, vel criminaliter, ac alias facere, proponere, movere, seu etiam intentare possem contra vos in personis, & seu in bonis vestris, in quibuscumque curiis, & coram quibuscumque Officialibus, judicibus, & personis tam ecclesiasticis, quam sæcularibus ratione, & occasione prædictorum. Promittens vobis, quod pro prædictis, seu occasione ipsorum non conveniam, capiam, nec conveniri, seu capi faciam vos in personis, seu bonis civiliter, vel criminaliter, nec alias, in judicio, nec extra judicium: nec procurabo, vel inferam, nec procurari, vel inferri faciam, nec consentiam contra vos, nec bona vestra, palam, vel occulte, de die, vel de nocte, directe, vel indirecte, aut alias, aliquod damnum, malum, injuriam, gravamen, vel offensam verbo, vel facto, aut alias ratione homicidii: vel *vulneris*: supradicti, sive in illo culpabiles fueritis, sive non: immo si scirem aliquem, vel aliquos talia tractaturos, aut facturos vobis, quam citius potero, denuntiabo, aut denuntiari faciam: quinimmo ad vestri uberiores cautelam impono mihi, & meis super prædictis omnibus, & singulis silentium sempiternum,

omnemque viam agendi, & amplius convenienti penitus excludendo: volens, & expresse consentiens, quantum mea intersit, vos omnes, & singulos supradictos, & vestrum quemlibet ratione instantiæ, & acculationis per me inde factarum in carceribus minime detineri, sed ab eisdem, quantum in me est, liberari volens, & consentiens, quod inquisitio, & processus, accusationes, & denuntiationes, & alia enantamenta, & acta inde factas, & facta ratione prædictorum cancelentur, & annullentur taliter, quod amodo mihi prodesse, nec vobis, nec vestris in personis, nec bonis, nec alias obesse, nec damnum, aut nocumentum aliquod inferre possint, nec valeant: immo possitis, his non obstantibus, in domibus vestris, & alibi habitare, redire, & stare in pace, & secure, quantum mea interest, quibuscumque constitutionibus, & aliis contrarium disponentibus non obstantibus, quibus omnibus, & singulis expresse, & ex certa scientia renuntio cum præsentibus. Insuper convenio, & bona fide promitto vobis omnibus prædictis, nec non & notario etiam infra scripto, tamquam publicæ, & authenticæ personæ, pro vobis &c. ac etiam sponte juro in animam meam per dominum Deum &c. quod hujusmodi perdonamentum, absolutionem, definitionem, & remissionem, & alia omnia, & singula supra dicta ratas, gratas &c. semper habeo, tenebo, & observabo, & contra ea non faciam, vel veniam aliquo jure, causa, vel etiam ratione. Actum &c. Sig. † num. T. prædicti, qui hæc laudo, firmo, & juro.

Testes T. & T.

*Mandatum factum per tutorem datum in curia ad omnes lites.*

**N**OVERINT universi, quod ego T. tutor, seu curator per honorabilem T. bajulum T. loci: sive in testamento T. datus, constitutus, & assignatus personæ, & bonis T. impuberis filii honor. T. prout de dicta tutela, cura, & assignatione plene constat publico instrumento acto T. loco, die T. mensis T. anno T. clausaque sive sub signato per T. notarium. Quia circa infra scripta personaliter interesse non possum, ex certa scientia, agens hæc cum auctoritate, & decreto, prædicti honorab. bajuli T. & citra revocationem aliarum procurationum, & potestatum per me hactenus magnifico T. & aliis quibuscumque personis fact. & firmat. & attributarum, gratis, & ex mea certa scientia, dicto nomine constituo, & ordino vos T. procuratorem, & actorem meum, seu dictæ tutelæ, aut curæ certum &c. ita quod &c. ad videlicet agendum, ducendum, tractandum, procurandum, prosequendum, finique debito terminandum pro me, & nomine meo omnes, & singulas causas, sive lites, quæstiones, & controversias principales, & appellatorias, motas, & movendas, quæ sunt, seu fore sperantur inter me dicto nomine, seu dictam pupillum agentem, vel defendentem ex una, & alias quavis personas agentes, vel defendentes partibus ex altera, quibuscumque rationibus, juribus, titulis, sive causis. Et pro prædictis, & alias in quibuscumque audientiis, curiis, & consistoriis, & coram qui-

quibusvis Officialibus, iudicibus & personis ecclesiasticis, & saecularibus, quorum, aut quarum interfit, pro me, & nomine meo comparandum, iudicem, seu iudices impetrandum, & impetratos ex adverso recusandum, & causas sive lites ducendum, & tractandum, querellas, querimonias, ac etiam retroclama exponendum, cautiones quascumque praestandum, de iure meo, seu dicti impuberis, aut minoris docendum, jusque super bonis dictae tutelae, seu cura ejusdem firmandum, eaque prouide obligandum, agendum quoque respondendum, defendendum, excipiendum, proponendum, & replicandum, libellum, seu libellos, petitiones, & demandas quascumque dandum, offerendum, & praesentandum, lites contestandum, de calumnia, & aliter in animam meam jurandum, & ab adverso jurari petendum, & videndum, testes, literas, & alia probationum genera in iudicio, & extra producendum, & publicari petendum, & videndum, & oblati, & productis ex adverso obiciendum, & impugnandum, crimina, defectus, suspiciones, & alia opponendum, disputandum, allegandum, renuntiandum, & concludendum in causa, seu causis, & omnia alia faciendum, & libere exercendum, quae in, & circa litem, seu lites fieri requirantur, sententias cujuscumque generis sint, audiendum, & ab ipsis, & quolibet etiam gravamine, & processu mihi dicto nomine, seu dicto impuberi illato, & comminato, ac inferendo, & comminando, si vobis videbitur, supplicandum, appellandum, & reclamandum, apostolos petendum, recipiendum, & praesentandum, & ipsarum supplicationum, appellationum, reclamationum causas prosequendum, & finiendum, protestandum quoque requirendum, & monendum, & protestatis, requisitis, & monitis ex adverso respondendum, replicandum, triplicandum, & ultra, & inde fieri faciendum, instandum, & requirendum, & has, ac etiam jam factas, si vobis videbitur, cancellandum, & annullandum, sive cancellari, & annullari faciendum, consentiendum, & jubendum, beneficium absolutionis, & restitutionis in integrum postulandum, & obtinendum; unumque vel plures procuratorem, & actorem, seu procuratores, & actores ad praedicta substituendum, eumque vel eos destituendum, & revocandum ubi, quando, & quoties vobis dicto domino procuratori, & actori videbitur expedire. Et generaliter omnia, & singula alia ad praemissa necessaria, & opportuna faciendum, & libere exercendum, etiam si majora, graviora, aut duriora fuerint superius expressis, & quae mandatum exigent magis speciale, quam praesentibus sit expressum, & quae ego facere possem personaliter, si adessem. Ego enim in, & super praedictis, & circa ea, & super dependentibus, seu emergentibus ex eisdem dono, & committo vobis dicto procuratori, & actori constituto in, & super praedictis, & circa ea, & super dependentibus ex eisdem plenarie vices meas, cum plenissima potestate: & volens vos dictum procuratorem, & actorem constitutum relevare in, & super praedictis, & circa ea ab omni onere satisfaciendi, fide-

jubendo in his pro vobis promitto vobis, necnon notario infrascripto, tamquam publicae &c. iudicio listi, & iudicatum solvi cum suis clausulis universis, & me semper habere ratum, & firum quidquid per vos dictum procuratorem, & actorem meum constitutum in, & super praedictis, & circa ea procuratum, & actum fuerit quomodolibet, sive gestum, & nullo tempore revocare, sub bonorum meorum, & dictae tutelae omnium obligatione, & hypotheca. Actum &c. Sig. num. T. qui hac dicto nomine laudo, concedo, & firmo.

Testes &c.

*Potestas ad petendum quascumque pecuniae quantitates.*

**N**overint universi, quod ego T. ex certa scientia, & gratis constituo, facio, creo, & solemniter ordino procuratorem meum certum, & specialem, & ad infrascripta etiam generalem, ita tamen quod specialitas ipsi generalitati minime deroget, nec e contra, vos venerabiles T. licet absentem, tamquam praesentem, ad pro me, & nomine meo petendum, exigendum, recipiendum, recuperandum, & habendum, ac habuisse, & recepisse confitendum omnes, & quascumque pecuniae quantitates, sive pecuniarum summas, mutua, debita, commandas, depositas, pensiones censualium mortuorum, census quoque fructus, redditus, & proventus, & alia quavis bona, res, & jura universa, quae mihi debentur, & debentur, detinenturque & detinebuntur ubique locorum, per quascumque universitates, communitates, corpora, collegia, & singulares personas cujusvis status, gradus, ordinis, seu conditionis sint, quibuscumque rationibus, nominibus, iuribus titulis, sive causis, quae dici, nominari, seu etiam excogitari possint, & inde de receptis, & recuperatis apocham, & apochas, albarana, fines, absolutiones, definitiones, & remissiones, ac quovis titulo, sive causa cessiones, & alias quavis cautelas inde necessarias, & opportunas, per me, & nomine meo faciendum, & firmandum; necnon etiam pro his, & eorum occasione coram quibusvis Officialibus, iudicibus, & personis comparandum, & interessantes, agendum quoque, ducendum, tractandum, procurandum, prosequendum, & finiendum, sineque debito terminandum omnes, & quascumque lites &c. *Fiat cursus litis, ut in praecedenti.*

*Mandatum factum per patronum ad praesentandum aliquem idoneum ab obtinendum quoddam beneficium vacans.*

**N**overint universi, quod ego T. patronus beneficii T. quia beneficium praedictum in praesentiarum de jure vacat pariter, & de facto, obitu T. quondam illius ultimi possessoris, cujus quidem beneficii praesentatio ad me, ut patronum praedictum, quotiens vacare contigerit, pertinet, & spectat, & quia circa praedicta, aliis praepeditis arduis negotiis, intendere, seu vacare non valeo, idcirco volens uti iure meo, gratis &c. constituo, & ordino procuratorem meum &c. discretum T. &c. absentem velut praesentem ad praesentandum illustrissimo & reverendissimo

D.



D. r. Archiepiscopo, ejusque in spiritualibus, & temporalibus Officiali, & Vicario generali, aut quibus de jure pertineat, & spectet, vener. r. tamquam idoneum, & sufficientem pro obtinendo dictum beneficium r. sicut praefertur, vacans, taliter quod ei cum omnibus juribus, & pertinentiis, ejusdem conferatur, ipsumque illustrissimo, & reverendissimo r. Archiepiscopo, ejusque in spiritualibus, & temporalibus Vicario generali, & Officiali, & quibus spectet, supplicandum, & eis requirendum, quatenus dictum vener. r. de dicto beneficio, cum omnibus juribus, & pertinentiis ejusdem provideant, & investiant, possessionemque corporalem, seu quasi tradant, seu tradi faciant, & quantum in eis fuerit, per quoscumque de quibuscumque fructibus, redditibus, & juribus dicti beneficii plenarie, & integre responderi faciant: protestandum quoque requirendum, & monendum, & protestatis ex adverso respondendum, replicandum, & ultra &c. & inde publicum, seu publica &c. Et demum &c. committentes vices &c. Et promitto habere ratum &c. & non revocare sub honorum meorum obligatione &c. Actum &c.

Testes &c.

*Capitula matrimonialia.*

**D**E, y sobre lo matrimoni, Deu volent, fahedor, mijensant la gracia del Esperit fant, tractat, y concordat, que sia fet per y entre lo honorable r. fill llegitim, y natural dels honorables r. y de na r. muller sua de r. vila de part una y la honesta r. donzella filla llegitima, y natural del honor, en r. de r. lloc, y de la honesta na r. muller de aquell de part altra, per medi de algunes notables persones son estats pactats, tractats, inits, y concordats los capitols del tenor seguent.

*Hereditamentum.*

E primerament lo dit r. y r. pare, y mare del dit r. per contemplacio del present matrimoni, lo qual lo dit r. fill seu de voluntat, y consentiments seus deu fer, y contractar ab la dita donzella damunt dita, y altrament per lo amor paternal, y maternal que han, y porten al dit llur fill ab los pactes empero, vincles, y condicions, retencions, e reservacions devall escrites, y nosens elles, ni altrament, apres empero obit seu, y del altre dells, y no abans, y ara per llavors, y llavors per ara, hereten, o donen, y per titol de heretament, o donacio pura, perfecta, simple, e irrevocable ques diu entre vives, atorguen, y consenten al dit fill seu, com a ben merexent, y devall acceptant, y als seus, tots, y qualsevol bens seus mobles, e immobles, y ferovents, censos, censals, rendes, drets, venus, y actions, seus, y de qualsevol dells, los quals ells dits donadors hajen, tinguen, y possehesquem, reben, y a ells, y a qualsevol de ells pertanguen, y pertanyer poden, o pertanyeran ara, o en esdevenidor, per qualsevol titol, causa, o raho en qualsevol ciutats, viles, y llocs, o parroquies consistentes. Lo dit empero heretament, o donacio fan, y fer entenen los dits donadors al dit r. fill seu, y al seus, ab los pactes

vincles, condicions, retencions, y reservacions següents. Primerament, que los dits donadors se retenen, y se reserven senyors, majors poderosos, y usufructuaris de, y sobre totes, y sengles coses per ells de sobre donades, e los fruits, de aquelles seus propis facen tant quant vivran, apres empero obit dells, y del altre dells, les hores lo dit us de fruit sia finit, y extint, y a la propietat del dit fill seu, y dels seus aplicat, y consolidat; per raho empero del dit us de fruit no sien obligats ells dits donadors en fer, o prestar caucio alguna, de usar, o fruir a arbitre de bon home, ni altra qualsevol caucio de us de fruit, empero del dit us de fruit retengut los dits donadors sien obligats de alimentar al dit r. fill seu, y a llur muller esdevenidora, y fills seus, sin tindrau, y vestirlos, y calçarlos, y altres carrecs necessaris pagar, juxta llur condicio, y qualitat; ab tal que lo dit r. fill seu, y llur esposa esdevenidora hajen de treballar en la casa y heretat de sobre donades honestament, y be. E ab pacte empero, condicio, y vincle, que si cas fera que lo dit r. fill, e donatari, o hereter seu morra quant que quant ab infant, o infants id est liberis, hu, o molts de llegitim, y carnal matrimoni procreats, que puga dispondre, y tinga a totes ses voluntas tots los dits bens, y drets a ell de sobre donats, si empero fera, lo que Deu novulla, que morra sens infants, hu, o molts, id est liberis, o ab tal que algu de aquells no pervinga a edat de poder fer testament, que en tal cas tan solament puga testar lo dit r. fill seu, y a ses voluntats fer, e dispondre de r. lliures Barceloneses, y los restants bens, y drets donas tornen, e pervinguen als dits donadors respectivament, si vives seran, e si no vivran, a son hereu, o successor universal, o en aquell, o aquells, al qual, o als quals ells havran volgut, e ordenat entre vives, o en sa darrera voluntat de paraula, o en escrits, o en altra qualsevol manera. E finalment dits donadors se retenen pera poder testar, y fer a totes ses lliberes voluntats r. lliures Barceloneses. E axi ab los drets, vincles, y pactes condicions, y retencions prometen los dits donadors ara per les hores lliurar possessio corporal, o casi al dit r. fill seu de tots los bens, y coses de sobre donats, o ell per sa propria autoritat los puga pendre ab clausula de constitut ara per les hores, ab cessio, y mandato de tots drets, y actions, constitucio de procurador com en cosa propria, clausula de intima, y altres clausules, ab translacio de domini utilis, y necessaries, y oportunes: y prometen, y juren que lo present heretament, y donacio havran per ferma, y agradable, y aquella no revocaran per raho de ingratitude, inopia, o offensa, o altra qualsevol causa, renunciant per en alio a la ley que permet, que donacio entre vives se puga revocar e infringir per dites ingratitude, inopia, offensa o malicia, e generalment o altra qualsevol ley o dret contra alio repugnant: prometent, y jurant a nostre senior Deu, y a sos quatre sants Evangelis, de no revocar, o per qualsevol cosa, o causa no contravenir al predit heretament, o do-

na-

nacio entre vivs, ab obligacio de sos bens, y drets llargament. E lo dit  $\tau$ . accepta lo dit heretament, y donacio ques diu entre vivs, de totes les coses de sobre donades a ell per los dits llurs pare, y mare, ab los pactes, vincles, condicions, y retencions de sobre dits, als quals expressament consent, ab besament de mans, y referiment de moltes gracies quels ne fa.

*Donatio facta filiae.*

Item ab altre capitol los dits  $\tau$ . y  $\tau$ . pare y mare de la dita  $\tau$ . donzella, per contemplacio del present matrimoni, lo qual la dita  $\tau$ . filla sua ab expressos consentiment, y voluntat seus, y de altres parents, y ben volents seus deu fer, y contractar ab lo dit  $\tau$ . per tot aso, es a saber parts, hererats llegendimes paternal, maternal, y suplement de aquelles, e per tots, y qualsevol altres drets a ella pertanyents, o pertanyer devents, e podents ara, o en esdevenidor en les heretats, y bens dells, per qualsevol titol, causes, y rahons donen, e per titol de donacio pura, simple, e irrevocable ques diu entre vivs, atorguen, y consenten a la dita  $\tau$ . filla sua com a ben merxent, y als seus  $\tau$ . lliures Barceloneses en les coses següents, ço es a saber en dines contants  $\tau$ . lliures y en robes, y foyes llegendimament estimadores  $\tau$ . lliures: la dita empero donacio fan, y fer entenen ells dits donadors a la dita  $\tau$ . filla sua ab los pactes, vincles, y condicions següents, ço es a saber, que si la dita  $\tau$ . filla sua morra, quant que quant, ab infant, o infants, id est, liberis, hu, o molts de llegendim, y carnal matrimoni procreats, que puga dispondre, y tinga a ses lliberes voluntats totes les dites  $\tau$ . lliures, a ella per los dits pare, y mare seus donades, empero si cas fera, lo que Deu no vulla, que ella morra sens dits infants, hu o molts, o ab tals infants, que algu dells no pervinga a edat de poder fer testament, que en tal cas tant solament puga dispondre, y fer a ses voluntats la dita  $\tau$ . filla sua donataria de  $\tau$ . lliures Barceloneses, e les restants  $\tau$ . lliures tornen, y pervinguen als dits donadors si vivs seran, e si no vivran, a son hereu, o successor universal, o en aquell, o aquells, al qual, o als quals ells havran volgut, e ordenat entre vivs, o en sa derrera voluntat de paraula, o en escrits, o en altra qualsevol manera. E axi ab los dits pactes, vincles, y condicions prometen los dits donadors donar, y pagar dites,  $\tau$ . lliures a la dita  $\tau$ . filla sua, o al dit  $\tau$ . espos esdevenidor per ella, y en nom della rebent, y als seus dins  $\tau$ . dies primers vinents, sens dilacio, ni excusa alguna, ab obligacio debens seus, y de quiscu dells in solidum, ab renunciacio espressa de la lley que diu, donacio entre vivs se puga revocar per causa de ingratur, inopia, o offensa; ni per altra causa, volent que de la predita quantitat ne sia fet acte de debitori ad partem, ab totes les clausules, cauteles, promissions, estipulacions, obligacions debens, renunciacions, y altres clausules en actes de debitoris acostumades posar, a coneguda del notari dels presents capitols rebedor. E prometen, y juren, que la present donacio havran sempre per ferma, y agra-

dable, y aquella no revocaran, ni contra a quella faran, ni vindran per ninguna causa ni raho. Renunciant a qualsevol altra lley, o dret que contra aso disposa. E la dita  $\tau$ . filla de dits  $\tau$ . y  $\tau$ . accepta la dita donacio a ella per contemplacio del present matrimoni feta per dits llurs pare, y mare, ab los pactes, vincles, y condicions de sobre dits, als quals expressament consent, ab besament de mans, y referiment de gracies quels ne fa.

*Constitutio dotalis.*

Item la dita  $\tau$ . donzella esposa esdevenidora del dit  $\tau$ . sahent estes coses ab expres consentiment, y voluntat dels dits pare, y mare seus, y de altres parents, y benvolents seus, per esguarr, y contemplacio del present matrimoni, y perque lo dit  $\tau$ . espos esdevenidor seu puga millor loportar los carrecs de aquell, ara de present aporta, y constitueix en dot, per dot, y en nom de dot sua al dit  $\tau$ . espos esdevenidor seu, y als dits  $\tau$ . y  $\tau$ . pare, y mare llurs, totes les coses li son estades donades en les coses, y modo que de sobre es dit en lo capitol de la donacio a ella per dits pare, y mare feta, ab los vincles, y condicions en dita donacio, y capitol contenguts, axi que dit  $\tau$ . espos esdevenidor seu apres que lo present matrimoni sera celebrat en fas de santa mare Iglesia, rebà dites  $\tau$ . lliures de dot, y de aquelles usufructue, y los fruits seus fassa durant, y constant entre ells lo present matrimoni, y fins a tant haja lloc restitucio de dot; la propietat empero de dita dot reste, y ramanga salva, y segura a ella, y als seus; axi que en tot cas, lloc, y temps que restitucio de dot haja lloc, ella, y los seus recobren les sus dites  $\tau$ . lliures de dot: prometent, que la present constitucio dotal no revocara per ninguna causa, ni raho, fors obligacio de sos bens; y axi jura &c. E los dits  $\tau$ . y  $\tau$ . pare, y mare seus a les coses predites consenten.

*Sponsalium.*

Item ab altre capitol lo predit  $\tau$ . y los dits  $\tau$ . y  $\tau$ . pare y mare de aquell fan, y fermen carta dotal, y desponsalici a dita  $\tau$ . esdevenidora esposa, y nora sua respective de les dites  $\tau$ . lliures, hagudes com de sobre es dit, e de, y per aquelles per pacte expres fan escrieix, o donacio per noces a la dita  $\tau$ . esdevenidora esposa y nora sua respectivament de  $\tau$ . lliures, moneda Barcelonela; axi que entre dot, y escrieix prenen suma de  $\tau$ . lliures: los quals dot, y escrieix, o donacio per noces li salvem, assignen, y alleguren en, y sobre tots, y sengles bens seus, y de quiscu dells in solidum, mobles, e immobles, haguts, y per haver, hont se vulle que sien. Prometent, que la dita dot, y escrieix restituyran a ella dita  $\tau$ . esposa esdevenidora del dit  $\tau$ . e als seus; tota hora, y quant hi havra lloc restitucio de dot, y escrieix: volen empero, lo dit escrieix, o donacio per noces tinga ella dita  $\tau$ . esposa esdevenidora, ab ell, y sens ell, ab infants, y sens infants, tot lo temps de la sua vida natural: apres empero mort della sia, y pervinga al fill, o fills, y della nexedors, axi com ella entre ells

ne

ne volra dispondre : en cas empero que no tindra, infants dell, o ne tindra, y aquells moriran ans de venir a edat de poder fer testament, en tal cas lo dit escreix torne a ell dit *r.* espos esdevenidor seu, o a qui llur successio pervindra; y per alho atendre y complir obliguen a la dita *r.* esdevenidora muller, y nora llur respective tots, y fengles bens seus, y de quiscu dells in solidum, mobles, e immobles, haguts, y per haver hont se vulla que sien, ab renunciacio de noves constitucions, divididores accions, y de la epistola del divo Adria, y a la consuetut de Barcelona parlant de dos, o molts que in solidum se obliguen: y la dita *r.* mare del dit *r.* renuncia al benefici Velleja, y a la autentica *Si qua mulier*: y tots juntament renunciem a tot altre dret, y ab jurament ho prometen.

*Pactum super melioramentis.*

